Caput I.

Περὶ Ἀσσυρίων.

Commentaturis nobis de operibus, quae ad rerum cognitionem pertinent, ne ea disiungamus, in quibus de Romanis et de Graecis agitur, initium faciendum est a duobus libris, quos Jubam de Assyriis scripsisse Tatianus testis est in oratione adversus Graecos c. 58., quo loco fontem librorum *περὶ Ἀσσυρίων* a Juba scriptorum Berosum fuisse docemur, qui Alexandri magni tempore et paullo post Beli dei sacerdos Babylone vixit et Chaldaeorum vel Babyloniorum historias e tabulis Babyloniorum publicis in templis repositis conscripsit. Sed quae sunt fata librorum, et Berosi et Jubae historiae hominum incuria perierunt, et pauca tantum utriusque fragmenta ad nos pervenerunt; quibus collectis comparatisque Berosum tres libros *περὶ Χαλδαίων* vel *περὶ Βαβυλωνικῶν* scripsisse patet iisque descriptione situs et naturae Babyloniae praemissa, ab ovo quasi incipientem multasque de pristinis temporibus fabulas immiscentem, historiam Babyloniorum nec non Assyriorum usque ad Nabonnedum a Cyro Persarum rege devictum narravisse, et Jubam, quem Tatianus dicit de Assyriis scribentem a Beroso historiam didicisse vel sumpsisse, ut ait Clemens Alexandrinus Tatiani premens vestigia Strom. I. p. 329. ed. Sylburg., easdem fere res tradidisse coniiciendum est. Ex iisdem verbis Tatiani sequitur Jubae libros ipsi ad manum fuisse, et quum eius testimonio nitatur Berosi fidem comprobaturus, regis gloriam summae eruditionis secundo post Christum natum saeculo, quo tempore Tatianus Romae vixit, aeque viguisse atque antea et postea. Neque igitur dubito, quin praeter Tatianum alii rerum scriptores hos quoque libros Jubae, quamquam a nullo laudantur, adhibuerint; etenim Plinius Secundus, quem in naturali historia permulta mutuatum esse e Jubae Libycis, libris de expeditione Arabica et de herba Euphorbia demonstravimus dissertatione supra laudata, res ad Assyriae situm, naturam, historiam spectantes attingens his libris videtur usus esse, et libro octavo nominatim ad eum provocat, ubi de Semiramidis equo amato loquitur, et Hesychius aliquoties vocabulorum, quae lexico inseruit, Jubam auctorem vel testem laudavit, quorum duobus in libris *περὶ Ἀσσυρίων* locum fuisse coniicio. Fragmenta autem Berosi librorum, quae apud Flavium Josephum, Eusebium, Syncellum, alios leguntur, et quae Fabricius tom. XIV. bibl. Graecae et accuratius J. Richter in dissertatione de Berosi Chaldaeorum historia Lipsiae anno 1825. collegit, cum Juba communicare et utriusque quasi communia facere nimiae est licentiae, quum Flavius Josephus Jubam numquam auctorem commemoret, et ceteri scriptores aut redeant ad Flavium Josephum aut ad Alexandrum Polyhistora, cui aetate tanto maiori Berosi libri haud dubie praesto fuerunt. In nonnullis tamen locis, ubi Flavius Josephus rerum gestarum narrationi geographicas vel physicas res adjunxit, scriptorem sequi videtur, qui, ut mos est polyhistorum, res undique petitas composuit, qualem Jubam fuisse constat; cuius modi specimen afferre licet ex Antiq. I. 3. 6., qui locus mirum quantum Jubae sapit rationem: *τοῦ δὲ κατακλυσμοῦ τούτου καὶ τοῦ λάρνακος μέμνηνται πάντες οἱ τὰς βαρβαρικὰς ἱστορίας ἀναγεγραφότες ὧν ἐστι καὶ Βηρωσὸς ὁ Χαλδαῖος· διηγούμενος γὰρ τὰ περὶ τὸν κατακλυσμὸν οὕτω πω διέξεισι· λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι· καὶ κομίζειν τινὰς τοῦ ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας· χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς.* Sed

videamus pauca et pusilla fragmenta, quae Jubae libris περὶ Ἀσσυρίων vindicare licet. J. Richter si verum cognovit de Semiramide in secundo libro Berosi sermonem fuisse iudicans, Jubam in libro priore ea narravisse verisimile est, nisi forte in libris de expeditione Arabica alicubi commentatus est, quae Plinius de equo Semiramidis tradidit:

Frag. I. Plinius nat. hist. VIII. 64.

„Equum adamatum a Semiramide usque ad rogum Juba auctor est.“ [1])

Ex Hesychio haec duo ad historiam Assyriorum pertinere arbitror, ac primum quidem

Frag. II. Hesychius v. *Βρίγες*·

„*Οἱ μὲν Φρύγες, οἱ δὲ βάρβαροι, οἱ δὲ σολοκισταί· Ἰόβας δὲ· ὑπὸ Λυδῶν φαίνεται βρίγα λέγεσθαι τὸν ἐλεύθερον,*“

nam de Lydis in Assyriorum historia dicendi locus fuit, ubi maximum ambitum commemoravit imperii, quod regem Senacheribum ad Ciliciam, ad fines usque Lydorum et Phrygum extendisse Alexander Polyhistor teste Eusebio Chronici Graeco-Armeno-Latini parte priore p. 39. exposuit e Richteri sententia fortasse iterum secundo Berosi libro nixus; [2]) et ex eadem operis parte depromptum videtur

Frag. III. Hesychius v. *Κυλικία.*

„*Κυλικίας· ἰδιώτης ἀπὸ τόπου. Ἰόβας.*“

Extremam denique et Berosi et Jubae historiarum partem sequentia videntur spectare, quae quum Assyriorum historiae unicum documentum contineant, primo loco ponenda sunt:

Frag. IV. Tatianus adversus Graecos c. 58. p. 171. ed. Paris.

„*Βηρωσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τοῦ παρ' αὐτοῖς Βήλου, κατ' Αλέξανδρον γεγονώς, Ἀντιόχῳ τῷ μετ' αὐτὸν τρίτῳ, τὴν Χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξας καὶ τὰ περὶ τῶν βασιλέων ἐκθέμενος, ἀφηγεῖταί τινος αὐτῶν ὄνομα Ναβουχοδονόσορ τοῦ στρατεύσαντος ἐπὶ Φοίνικας καὶ Ἰουδαίους· ἅτινα διὰ τῶν καθ' ἡμᾶς προφητῶν ἴσμεν κεκηρυγμένα, γεγονότα μὲν πολὺ τῆς Μωϋσέως ἡλικίας κατώτερα, πρὸ τῆς Περσῶν ἡγεμονίας ἔτεσιν ἑβδομήκοντα. Βηρωσὸς δέ ἐστιν ἀνὴρ ἱκανώτατος, καὶ τούτου τεκμήριον Ἰόβας, ὃς περὶ Ἀσσυρίων γράφων παρὰ Βηρωσσοῦ φησι μεμαθηκέναι τὴν ἱστορίαν· εἰσὶ δὲ αὐτῷ βίβλοι περὶ Ἀσσυρίων δύο.*“ Quibuscum congruunt, quae Clemens Alexandrinus loco supra laudato exhibet: *Ἐν δὲ δωδεκάτῳ ἔτει τῆς Σεδεκίου βασιλείας Ναβουχοδονόσορ πρὸ τῆς Περσῶν ἡγεμονίας ἔτεσιν ἑβδομήκοντα ἐπὶ Φοίνικας καὶ Ἰουδαίους ἐστράτευσεν, ὥς φησι Βηρωσσὸς ἐν ταῖς Χαλδαϊκαῖς ἱστορίαις. Ἰόβας δὲ περὶ Ἀσσυρίων γράφων ὁμολογεῖ τὴν ἱστορίαν παρὰ Βηρωσσοῦ εἰληφέναι, μαρτυρῶν τἀληθεῖαν ἀνδρί.* [3])

---

[1]) *ad rogum* cum Harduino legendum esse statuo, nam et Hyginus fab. 243. „Semiramis, inquit, in Babylonia equo amisso in pyram se coniecit“, et Plinius ipse in antecedentibus de tumulis in equorum honorem exstructis loquitur. Spiro, qui in Erschii et Gruberi encyclopaedia II. 26. p. 320. sqq. Jubae vitam et scripta delineavit, hunc locum physiologicis inseruit, quae diss. p. 14. nulla esse demonstravi.

[2]) Phryges antequam in Asiam migrassent, Briges dictos fuisse etiam Herodotus VII. 73 refert.

[3]) Fragmenta a Plaggio l. l. huic operi annexa e Plinio VI. 26. et ex Etym. Magno v. *Διόνυσος* petita et locum Aeliani XV. 8. libris de Arabia, Aelian. IX. 58. Libycis vindicavi.

Caput II.

Ἱστορία vel *ἀρχαιολογία Ῥωμαϊκή.*

Scriptorum, quae ad historiam Romanam pertinent a Juba grati erga Romanos animi quasi documentum composita, unum Stephanus Byzantinus v. *Ὠστία ἱστορίαν Ῥωμαϊκὴν* v. *Νομαντία ἀρχαιολογίαν Ῥωμαϊκὴν* nuncupavit. Nam de uno et eodem opere duo illa nomina intellecta iam video a Fischero römische Zeittafeln p. 299., Sevino in libro mémoires de l'académie des inscriptions et belles lettres IV. p. 465., aliis; etiam Heeren in commentatione de fontibus et auctoritate Plutarchi vitarum parallelarum p. 110. de una historia Romana loquitur, ubi Jubae opus Plutarcho fontem fuisse demonstrat. Verum enim urbis Numantiae, quam Stephanus Byzantinus ex Jubae archaeologia affert, in historia debebat mentio fieri, ceterarum contra urbium in archaeologia, si quidem archaeologiam, quae vulgo dicitur, ab historia ita distingui recte statuimus, ut in illa antiquiorum in hac recentiorum potissimum temporum ratio habeatur; ac Stephano Byzantino unum tantum opus ad manum fuisse, etsi duo illa nomina usurpavit, ex eo colligendum est, quod de aliis duobus oppidis Arbace et Lavinio et de Aboriginibus disserens nomen operis, quasi cognitum esset, omnino non adscripsit. Postquam autem historia a Dionysio Halicarnasseo *ἀρχαιολογία* appellari coepta est, et aliis rerum scriptoribus alterutro nomine in eadem re uti et Jubae quoque historiam nuncupare licuit *ἀρχαιολογίαν* ex eiusdem scriptoris auctoritate, quem etiam in rebus narrandis secutum esse verisimile fit e Stephano Byzantino v. *Ἀβοριγῖνες.* Quae quum ita sint, simul compertum habemus historiam Romanam post annum U. c. 743. eum scripsisse, quo anno Dionysius primus historiam illo nomine instructam in lucem edidit. Graece historiam Jubae scriptam fuisse patet e Plutarchi testimonio, qui in vita Caesaris c. 55. e barbaro Numida Jubam eruditissimum Graecorum scriptorum factum esse dicit; itaque sententiae eorum suffragor, qui hoc opere id potissimum consilii eum spectasse iudicant, ut Graecos historiam Romanam doceret; quibus ut instituta et nomina Romana, quae in narratione rerum commemorari oportuerat, explicaret, quod alii narrationi ipsi intexuerunt, peculiare opus *ὁμοιότητες* inscriptum Jubam composuisse notum est. Quod si Graece scriptum fuisse opus de historia Romana statuimus, non ab re facere me arbitror, si Heerenio assentior commentatione supra laudata dicenti Plutarcho, qui fide dignissimum Jubam ratus esset, etsi perraro, ubi testimonia de re aliqua variarent, eum nominasset, historiam Romanam uberrimum fontem fuisse in eaque Jubam praeter cetera de veterrimis maxime institutis, quae cumulatissime collegisset, exposuisse; quum vero nimis spissum opus fuisset historia Romana, in qua tam copiose et rhetorico paene ornatu res inde ab origine ad Sullana et fortasse ad sua usque tempora gestas narrasset — nam in vita Numae Plutarchum etiam orationes insertas ad eos habitas, qui regnum ut susciperet adierunt, Jubae debere contendit — aeque ac de Dionysio constat, de pristinis temporibus multo accuratiorem eum fuisse narratorem quam de posterioribus, itaque a Plutarcho in quaestionibus Romanis, in quibus praecipue de institutis antiquis agitur, et in vitis Romuli et Numae et Valerii Publicolae diligentius quam in ceteris adscitum fuisse. Quos fontes praeter Dionysium Halicarnasseum in historia Romana Juba adhibuerit, non certo simus, non tamen fallemur nonnullis eum veterum Romanorum scriptorum ratione critica non semper habita

usum esse statuentes, atque ab ipso unum laudatum accepimus in vita Romuli c. 17. Sulpicium Galbam, quem ten Brink l. l. p. 3. falso Sulpicium Gallum scripsit, quum eum saeculo secundo ante Chr. n. physicum fuisse sciamus. Jam singula quae supersunt historiae Romanae fragmenta et quid ex iis de opere colligi possit, afferamus. Ac primum quidem e quatuor testimoniis Stephani Byzantini v. *Ἀβοριγῖνες*, *Λαβίνιον*, *Ὠστία*, *Νομαντία* constat Jubae historiam Romanam in libros divisam fuisse et initium cepisse ab origine populi Romani, quum dicit

Frag. I. Steph. Byz. v. *Ἀβοριγῖνες*

„*Ἀβοριγῖνες, ἔθνος Ἰταλικόν, ὡς Ἰόβας ἐν πρώτῃ· μέχρις οὖν τοῦ Τρωικοῦ πολέμου τὴν αρχαίαν Ἀβοριγίνην διέσωξον,*[1]) *Λατίνου δὲ βασιλεύσαντος οὕτω* (scil. *Λατῖνοι*) *προσηγορεύθησαν· τὰ ἀυτὰ καὶ Χάραξ.*“

Initium igitur Juba fecit ab historia summae antiquitatis aut inseruit eam descriptioni Italiae historiae praemissae. Atque in illa parte id quoque fuisse puto, quod Jubam sequens de Lavinio docet Stephanus:

Frag. II. Steph. Byz. v. *Λαβίνιον.*

„*Λαβίνιον, πόλις Ἰταλίας, Αἰνείου κτίσμα, Ἰόβας ἐν πρώτῳ· ἀπὸ τῆς τοῦ βασιλέως θυγατρὸς Λαβινίας· τὸ ἐθνικὸν Λαβινιάτης· λέγονται καὶ Λαβινίται.*“[2])

In Romuli autem vita Plutarchus Jubam commemorat in enarrando raptu virginum Sabinarum certum earum numerum addentem:

Frag. III. Plutarch. Romulus c. 14.

„*Ἁρπασθῆναι δέ φασιν οἱ μὲν τριάκοντα μόνας, ἀφ' ὧν καὶ τὰς φρατρίας ὀνομασθῆναι.. Ἰόβας δὲ τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας παρθένους·*[3]) *ὃ μέγιστον ἦν ἀπολόγημα τῷ Ῥωμύλῳ. γυναῖκα γὰρ οὐ λαβεῖν ἀλλ' ἢ μίαν Ἑρσιλίαν, διαλαθοῦσαν αὐτούς, ἅτε δὴ μὴ μεθ' ὕβρεως μηδ' ἀδικίας ἐλθόντας ἐπὶ τὴν ἁρπαγὴν ἀλλὰ συμμίξαι καὶ συναγαγεῖν εἰς ταὐτὸ τὰ γένη ταῖς μεγίσταις ἀνάγκαις διανοηθέντας.*“

---

[1]) Haec verba si Juba e Dionysio Halicarnasseo I. p. 8. hausit, socordius videtur fecisse, quod e Dionysii verbis de Romanis prolatis *τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν ἔτι σώζοντες* et gentem singularem quandam Aborigines nominatam et nomen terrae *Ἀβοριγίνη* duxit, nisi forte cum Berkelio ineptissimam illam Xylandri lectionem secundum Dionysium curare volumus.

[2]) Dubito num cum Holstenio legendum sit *Λαβινᾶται*, quum nomen gentilicium *Λαβινίται* a *Λαβίνιον* simili modo duci potuerit ac nomen Latinum ***Samnites*** a ***Samnium***.

[3]) Valde miror, quod Heeren l. l. p. 119., ubi causam, cur numerus virginum Sabinarum tantopere exaggeratus esset, hanc attulit, quod illae triginta tantum ad tribus constituendas sorte electae fuissent, exaggeratores autem plures ad matrimonia omnium Romanorum desideravissent, Jubae ne uno quidem verbo mentionem fecit; idem quum de magna aestimatione diceret, qua Juba apud Plutarchum uteretur, iniuste tamen eum fecisse iudicare debebat, si in omnibus Jubae fidem habuisset, ut pote qui multa alia et maxime illud commentum de numero virginum Sabinarum falso tradidisset. Quem enim testem quaeso Juba de hac re secutus est? an veraciorem meliusque doctum Valerio Antiate? de quo Niebuhrii iudicium afferre placet, qui in scholis de historia Romana ab Islero a. 1846. editis p. 32. „Valerius Antias, inquit, ist von allen römischen Geschichtsschreibern gewiss der unwahrste, der einzige, den man geradezu der Unwahrheit zeihen kann. Livius sagt von ihm: „adeo mentiendi nullus modus est,“ und „si Valerio Antiati credere libet.“ Er weiss die genauesten Umstände in allen Zeiten, ist immer geneigt, in's Ungeheure zu übertreiben, vorzüglich hinsichtlich der Zahlen“, et paucis interiectis sic pergit: „so sind die dreissig Jungfrauen gar keine bestimmte

Explicationem vocis ταλάσιος in vita Romuli c. 15. Plagge primo huic operi adiunxit, postea vero rectius ex libris περὶ ὁμοιοτήτων sumptam esse coniecit et p. 60. repetivit. C. 17. vero, ubi Tarpeii proditionem refert, Plutarchus Jubam laudat fontem adiiciens, quem secutus est, Sulpicium Galbam:

Frag. IV. Plutarch. Romul. c. 17.

„Ἑάλω δὲ καὶ Ταρπήιος προδοσίας ὑπὸ Ῥωμύλου διωχθείς, ὡς Ἰόβας φησὶ Γάλβαν Σουλπίκιον ἱστορεῖν." cf. Heeren p. 110. 117. 119.

Etiam ex iis, quae de sacris deorum, de templis, de festis, de institutis Juba videtur accuratius scripsisse, pauca fragmenta ad nos servata sunt in Plutarchi quaestionibus Romanis, quae pertinent ad historiam Romanam, ac primum in illa, qua de causa quaeritur, cur communis fuerit ara Herculis et Musarum:

Frag. V. Plutarch. quaest. Rom. 59.

„Διὰ τί κοινὸς ἦν βωμὸς Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν; — ἢ ὅτι γράμματα τοὺς περὶ Εὔανδρον ἐδίδαξεν Ἡρακλῆς,[1]) ὡς Ἰόβας ἱστόρηκε; καὶ τὸ πρᾶγμα σεμνὸν ἐνομίζετο φίλους καὶ συγγενεῖς διδασκόντων· ὀψὲ δ' ἤρξαντο μισθοῦ διδάσκειν, καὶ πρῶτος ἀνέῳξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπόριος Καρβίλιος, ἀπελεύθερος Καρβιλίου τοῦ πρώτου γαμετὴν ἐκβαλόντος."

Augures si Juba in historia temporis Romuli iam commemoravit, ex illa parte profecto ea quoque sunt, quae Plutarchus de volatu avium affert:

Frag. VI. Plutarch. quaest. Rom. 78.

„Διὰ τί τῶν οἰωνῶν ὁ καλούμενος ἀριστερὸς αἴσιος; — — — ἢ μᾶλλον, ὡς Ἰόβας φησί, τοῖς πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἀποβλέπουσιν ἐν ἀριστερᾷ γίνεται τὸ βόρειον; ὃ δὴ τοῦ κόσμου δεξιὸν ἔνιοι τίθενται καὶ καθυπέρτερον."

Venimus ad historiam Numae, e qua in Plutarchi vita Numae nullum fragmentum servatum agnoscimus, quamquam non dubito, quin Jubae historia Romana fons ei fuerit uberrimus, et quamquam ab ipso de Saliis laudatur, quod quidem fragmentum cum Plaggio ex opere περὶ ὁμοιοτήτων esse puto. Sed e quaestionibus Romanis duas huc referendas arbitror, unam in qua de mensium divisione, alteram in qua de quirinalibus agitur. Huic enim rei apud Jubam locus fuit, ubi festa et sacra a Numa instituta afferebat, illi vero, ubi alias eius institutiones enumerabat, quarum una fuit nova anni distributio et mensium ad lunam facta divisio. Jam quae ex utraque videntur huc pertinere, haec sunt:

Zahl, sondern gelten für Viele, Valerius Antias hat dagegen 547." Quid si nostrum multo plures afferre virgines et exaggeratorem multo audaciorem videmus sequi vel ipsum audacius exaggerare? Plutarchus igitur non criticum se praebuisset historicum, si, qui dignissimum fide Jubam haberet, in talibus quoque rebus sequi eum voluisset.

[1]) Hercules in numero Romuli Deorum ferebatur, et ipsius Evandri in Palatino palatium erat, quia ab Hercule doctus litteras in Italiam transtulisse dicebatur. Marius Victorinus I. 4. 96. p. 25. ed. Gaisf. Jubam secutus forsitan Cadmum ex Phoenice in Graeciam et Evandrum ad Romanos transtulisse a b c d e i k l m n o p q r s t litteras numero sedecim docet. Ceterum quod Plagge ex illa ratione interrogationum a Plutarcho in quaestionibus Romanis adhibita conclusit Jubae quoque opus ita confectum fuisse, non consentio.

Frag. VII. Plutarch. quaest. Rom. 4. c. 24.

„Διὰ τί τρεῖς τοῦ μηνὸς ἀρχὰς καὶ προθεσμίας ἔχουσιν οὐ ταὐτὸ διάστημα τῶν ἡμερῶν μεταξὺ λαμβάνοντες; πότερον ὡς οἱ περὶ τὸν Ἰόβαν ἱστορροῦσιν, ὅτι ταῖς καλάνδαις ἐκάλουν τὸν δῆμον οἱ ἄρχοντες καὶ κατήγγελλον εἰς πέμπτην τὰς νόννας, εἰδοῦς δὲ ἡμέραν ἱερὰν ἐνόμιζον."

Frag. VIII. Plutarch. quaest. Rom. 4. c. 89.

„Διὰ τί τὰ Κυρινάλια μωρῶν ἑορτὴν ὀνομάζουσιν; ἢ ὅτι τὴν ἡμέραν ταύτην ἀπεδεδώκεσαν, ὡς Ἰόβας φησί, τοῖς τὰς αὐτῶν φρατρίας ἀγνοοῦσιν."

Ex Anci Marcii historia unum tantum pusillum restat vestigium a Stephano Byzantino servatum:

Frag. IX. Steph. Byzant. v. Ὠστία.

„Ὠστία, πόλις Ἰταλίας. Ἰόβας ἐν πρώτῳ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας· ἀπὸ μὲν τῶν βορείων μερῶν ὁ Τίβερις, Ὠστία πόλις πλησίον."

Maius vero fragmentum, fortasse ipsius Jubae verba ex historia Servii Plutarcho debemus:

Frag. X. Plutarch. quaest. Rom. 4. p. 264.

„Διὰ τί τοῖς ἄλλοις Ἀρτεμισίοις ἐπιεικῶς ἐλάφων κέρατα προσπατταλεύουσι, τῷ δ' ἐν Ἀβεντίνῳ βοῶν; ἢ τοῦ παλαιοῦ συμπτώματος ἀπομνημονεύοντες; λέγεται γὰρ ἐν Σαβίνοις Ἄντρωνι Κορατίῳ βοῦς ἐκπρεπὴς ὄψει καὶ μεγέθει διαφέρουσα τῶν ἄλλων γενέσθαι. μάντεως δέ τινος αὐτῷ φράσαντος ὅτι τοῦ καθιερεύσαντος Ἀρτέμιδι τὴν βοῦν ἐκείνην ἐν Ἀβεντίνῳ πέπρωται μεγίστην γενέσθαι καὶ βασιλεῦσαι τῆς Ἰταλίας ἁπάσης τὴν πόλιν, ἐλθεῖν μὲν ἐς Ῥώμην τὸν ἄνθρωπον ὡς θύσοντα τὴν βοῦν· οἰκέτου δὲ κρύφα τῷ βασιλεῖ Σερουίῳ τὸ μάντευμα φράσαντος, ἐκείνου δὲ Κορνηλίῳ τῷ ἱερεῖ, προστάξαι τὸν Κορνήλιον τῷ Ἄντρωνι λούεσθαι πρὸ τῆς θυσίας ἀπὸ τοῦ Θύμβρεως· νενομίσθαι γὰρ οὕτω τοὺς καλλιεροῦντας· ἐκεῖνον οὖν ἀπελθόντα λούσασθαι, τὸν δὲ Σερούιον φθάσαντα θῦσαι τῇ θεῷ τὴν βοῦν, καὶ τῷ ἱερῷ τὰ κέρατα προσπατταλεῦσαι. Ταῦτα καὶ ὁ Ἰόβας ἱστόρηκε καὶ ὁ Βάῤῥων." [1])

Magnae deinde partis historiae a Servio rege ad bella Punica usque ne minimum quidem vestigium relictum est, atque ex his rursus unam tantum rem memorabilem Plutarchus servavit in comparatione Marcelli et Pelopidae. Sed quum ipse plus se Jubae quam Polybii auctoritati confidere profiteatur, Heeren l. l. p. 121. sq. iure videtur colligere Jubam ei ducem primarium fuisse in vita Marcelli nec minus belli Gallici quam expugnationis Syracusarum historiam ex eius maxime commentariis historicis depromptam esse. Postquam Polybium testem citavit Hannibalem usque ad Scipionem invictum fuisse, sic pergit:

Frag. XI. Plutarch. Comp. Marcelli cum Pelopida c. 1.

„Ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι· μεγίστην δὲ αὗται ῥοπὴν οὐδεμίαν ἐποίησαν, ἀλλ' ἔοικε ψευδόπτωμά τι γενέσθαι περὶ τὸν Λίβυν ἐν ταῖς συμπλοκαῖς ἐκείναις."

---

[1]) Quae Plutarchus his addit: πλὴν ὅτι τοὔνομα τοῦ Ἄντρωνος Βάῤῥων οὐ γέγραφεν, οὐδ' ὑπὸ Κορνηλίου φησὶ τοῦ ἱερέως ἀλλ' ὑπὸ τοῦ νεωκόρου παρακουσθῆναι τὸν Σαβῖνον, optime possunt probare ipsissima hic afferri Jubae verba, quippe qui etiam Varrone testis accuratior commemoretur.

In eadem parte aut paullo post, ubi bellum cum Numantia gestum narravit, fortasse mentio facta est duarum urbium, in quibus commemorandis Stephanus Byzantinus ad Jubam provocat:

Frag. XII. Steph. Byz. v. *Ἀρβάκη.*

„*Ἀρβάκη· πόλις ἐν Κελτιβηρίᾳ, ὡς Ἰόβας, τὸ ἐθνικὸν Ἀρβακαῖος.*"

Frag. XIII. Steph. Byz. v. *Νομαντία.*

„*Νομαντία, πόλις Ἰβηρίας· Ἰόβας ἐν δευτέρῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας· τὸ ἐθνικὸν Νουμαντῖνος λέγεται διὰ τῆς ου.*"

e quo fragmento patet historiam bellorum Punicorum in secundo libro fuisse.

Ultimum vero vestigium historiae Romanae fortasse e libro tertio depromptum, quo pugnas internas primum Gracchorum deinde Marii et Sullae narrari oportuit, Plutarchus in vita Sullae exhibet, ubi legatum Gabinium ipse tradit, Jubam vero Ericium commemorantem inducit:

Frag. XIV. Plutarch. Sulla. c. 16.

„*Ὁ δὲ Ἰόβας οὐ Γαβίνιόν φησι πεμφθῆναι ἀλλὰ Ἐρίκιον.*

Utrum autem Juba historiam Romanam ultra tempora Sullana produxerit necne, eamque pluribus quam duobus libris tribusve complexus sit, non constat, fragmentum saltem, quo Cleopatrae luxuriam commemorat, equidem alius operis esse cognovi; quamquam ex Heerenii sententia p. 124. sq. et p. 144. in vita T. Quinctii Flaminini et in vitis imperatorum Plutarchus Jubam videtur adhibuisse.

Caput III.

Ὁμοιότητες.

Juba quum offendisset instituta Romana publica privata, sacra profana Graecis simillima vel nomina his in rebus usitata cum Graecis saepe congruentia vel redeuntia ad Graeca, diligentissime collegit collectaque opere complexus est, quod *ὁμοιότητες* nuncupavit, qui titulus non inusitatus in alia quidem re - Dionysius musicus teste Porphyrione *περὶ ὁμοιοτήτων* scripsit de rhythmi et compositionis similitudine — comparationes vel similitudines significat, quas quum grammaticos quoque Latinos in vocabulis Latinis et Graecis observare videamus, fortasse Jubam quispiam dixerit hoc libro grammatici et historici partes egisse. Cuius operis testes Athenaeum l. IV. p. 170. et Hesychium habemus, qui v. *κάρτη* librum decimum quintum laudat. Quem ordinem vero Juba hoc in opere secutus sit, utrum res, utut in historia Romana explicandae occurrerent, explicaverit et quasi appendicem illi adiunxerit, an secundum rerum comparatarum naturam eum instituerit ita, ut primum nomina et instituta sacra tractaret, deinde quae ad rem publicam pertinerent, tum quae vitam privatam et domesticam complecterentur, nulla re indicatur; itaque de nostro arbitrio hunc alterum sequi placet, quoniam libro decimo quinto ab Hesychio laudato, fortasse totius operis ultimo, videtur de rebus domesticis egisse. Jam vero liber

eius modi quum omnibus scriptoribus summae utilitati summoque pretio esse debuit, tum iis potissimum, qui de Romanis ad Graecos graece scripserunt, et quorum ut Athenaei, Plutarchi minus historiam scribere interesset quam res memorabiles undique collectas, interdum etiam miras longeque petitas cum lectoribus communicare, et permultas res, in quibus ne nominis quidem Jubae mentio fit, ubique ab illis scriptoribus ex eo depromptas esse vix verendum est ne falso iudicemus. Indicare autem eas et vindicare Jubae, nimiae esset aut contra ipsos scriptores incuriae vel iniuriae aut contra alios, qui similia atque Juba illis suppeditaverunt. Quae vero iure huic operi vindicanda mihi videntur, iam proferam ordinem sequens, quem a Juba fortasse institutum iudicavi.

Primum igitur institutorum et nominum sacrorum vel religiosorum saltem similitudines a Plutarcho servatas afferre placet, praesertim quum in ipsis opus indicatum videatur. Neque enim in vita Romuli c. 15. significationem exclamationis *Ταλάσιος*, quam nonnulli cum Juba accipiunt, ab huius operis ratione alienam esse quisquam contendet, si verba, quae conclusionem illam aperte suadeant, consideraverit:

Frag. I. Plutarch. Romulus c. 15.

„*Ἅπαντες οὖν ἐβόων τὸν Ταλάσιον οἱ τὰς παρθένους κομίζοντες· καὶ διὰ τοῦτο τοῖς γάμοις παραμένειν τὸ ἔθος. Οἱ δὲ πλεῖστοι νομίζουσιν, ὧν καὶ ὁ Ἰόβας ἐστί, παράκλησιν εἶναι καὶ παρακέλευσιν εἰς φιλεργίαν καὶ ταλασίαν, οὔπω τότε τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασι τῶν Ἰταλικῶν ἐπικεχυμένων. Εἰ δὲ τοῦτο μὴ λέγεται κακῶς, ἀλλ' ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι τότε τῷ ὀνόματι τῆς ταλασίας, καθάπερ ἡμεῖς, ἑτέραν ἄν τις αἰτίαν εἰκάσειε πιθανωτέραν.*“

In vita autem Numae c. 7. postquam Plutarchus nescimus quo auctore vocem flamen a Graeco *πίλος* deduxit et flamines esse *πιλάμενας* docuit, tunc temporis Graeca magis quam ipsius aetate Latinis mixta fuisse addit eiusque rei duo exempla ex Juba petita apponit, quorum prius quidem in aliam partem huius operis ablegaverim, ubi de regis ornatu agebatur, vel in librum decimum quintum, ut suspicari licet e voce *κάρτη*, alterum vero huic parti similitudinum vindicare non dubito, verba autem haec sunt:

Frag. II. Plutarch. Numa c. 7.

„*τὸν ὑπηρετοῦντα τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα λέγεσθαι Κάμιλλον, ὡς καὶ τὸν Ἑρμῆν οὕτως ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων Κάμιλλον ἀπὸ τῆς διακονίας προσηγόρευον.*“

Etiam cap. 13., ubi de ancilium nomine disserens Jubam laudat, similitudinum rationem agnosces, imo persuadebis tibi subsequentia legens:

Frag. III. Plutarch. Numa c. 13.

„*αὐτὰρ δὲ τὰς πέλτας ἀγκύλια καλοῦσι διὰ τὸ σχῆμα. κύκλος γὰρ οὐκ ἔστιν οὐδὲ ἀποδίδωσιν ὡς πέλτη τὴν περιφέρειαν, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ἧς αἱ κεραῖαι καμπὰς ἔχουσαι καὶ συνεπιστρέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας ἀγκύλου τὸ σχῆμα ποιοῦσι· ᾗ δια τὸν ἀγκῶνα περὶ ὃν περιφέρονται. Ταῦτα γὰρ ὁ Ἰόβας εἴρηκε γλιχόμενος ἐξελληνίσαι τοὔνομα.*“

In eodem vero opere et in hac quidem parte, si recte de partibus statui, deductionem nominis Februarii fuisse ab Athenaeo servatam nemo infitiabitur:

Frag. IV. Athenaeus III. p. 98. B.

„Ὁ δ' αὐτὸς οὗτος σοφιστὴς (Πομπηιανὸς ὁ Φιλαδελφεὺς) Φεβρουαρίῳ μηνὶ, ὡς Ῥωμαῖοι λέγουσιν· τὸν δὲ μῆνα τοῦτον κληθῆναί φησιν ὁ Μαυρούσιος Ἰόβας ἀπὸ τῶν κατουδαίων φόβων κατ' ἀναίρεσιν[1]) τῶν δειμάτων, ἐν ᾧ τοῦ χειμῶνός ἐστι τὸ ἀκμαιότατον, καὶ ἔθος τότε τοῖς κατοιχομένοις τὰς χοὰς ἐπιφέρειν πολλαῖς ἡμέραις."

Jam quot libros haec pars complexa sit, vix potest definiri; ex alia vero parte cetera mihi videntur esse, quae apud Athenaeum ex hoc opere deprompta sunt, fortasse ex ea, in qua de similitudinibus rerum privatarum vel domesticarum agebatur. Primum vero Athenaeus Romanorum structorem cum Graecorum servo, qui τραπεζοκόμος vocabatur, a Juba comparatum esse ἐν ὁμοιότησι tradit:

Frag. V. Athenaeus IV. p. 170. E.

„Ἰόβας γὰρ ὁ βασιλεὺς ἐν ταῖς ὁμοιότησι τὸν αὐτὸν εἶναί φησι τραπεζοκόμον καὶ τὸν ὑπὸ Ῥωμαίων καλούμενον στρούκτωρα, παρατιθέμενος ἐκ δράματος Ἀλεξάνδρου, ᾧ ἐπιγραφὴ πότος

εἰς αὔριόν με δεῖ λαβεῖν αὐλητρίδα·
τραπεζοποιὸν δημιουργὸν λήψομαι.
ἐπὶ τοῦτ' ἀπέστειλ' ἐξ ἀγροῦ μ' ὁ δεσπότης."

Accedunt denique comparatio vocis Latinae *laena* cum Graeca χλαῖνα a Plutarcho in vita Numae allata et interpretatio vocis κάρτη apud Hesychium, quem comparationem cum veste Latina praetermisisse suspicor:

Frag. VI. Plutarch. Numa c. 7.

„καὶ γὰρ ἃς ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς λαίνας, ὁ Ἰόβας χλαίνας φησὶν εἶναι."

Frag. VII. Hesychius v. κάρτη.

„κάρτη, εἶδος ἱματίου παρὰ Ἰόβᾳ ἐν πεντεκαιδεκάτῳ τῶν ὁμοιοτήτων."[2])

Caput IV.

Περὶ φθορᾶς λέξεως.

In varias ne dicam diversas partes abeunt viri docti, quod nomen fuerit operis grammatici a Suida v. σκομβρίσαι laudati. Hullemann enim de vita et scriptis Jubae Maurusii dispu-

---

[1]) G. J. Vossius Opp. tom. I. p. 243. Jubam significationem Februarii mensis ita accepisse putat, quasi Februarium φοβερόν dici voluisset, Schweighaeusero vocabulum φεβρουάριος ex nomine φόβος et verbo ἀναιρεῖν vel αἱρεῖν compositum conflatumque Juba videtur statuisse, quippe cui nec Romanus sermo nec Graecus patrius fuisset. Fortasse καθ' αἵρεσιν legendum.

[2]) Fragmenta ex Athenaeo I. 15. A. et VI. 229. C. petita, quae Plagge hoc loco posuit, operi περὶ φθορᾶς λέξεως vindicavi.

tatione in symbolis litterariis VII. p. 96. Traiecti ad Rhenum a. 1845. περὶ διαφορᾶς λέξεως legendum esse statuit, quo ταῖς ὁμοιότησι congruerent hi libri; Bernhardy autem, qui in Suidae editione περὶ φθορᾶς scripsit, περὶ διεφθορυίας λέξεως refingendum esse iudicavit, quod quum librorum manuscriptorum lectione parum confirmaretur, M. Schmidt philol. III. p. 342. a. 1854. in περὶ παρεφθορυίας λέξεως mutavit; hanc operis inscriptionem etiam ten Brink l. l. p. 2. adoptavit, quum in his maxime libris grammatici argumenti Juba copiosum habuisset adversarium Didymum τὸν χαλκέντερον, qui quidem ipse scripsisset librum περὶ παρεφθορυίας λέξεως teste Athenaeo IX. p. 368. B., cum Henrico Valesio in hac re faciens, qui de critica p. 177. de utroque disserens, „solenni nimirum, inquit, inter eiusdem artis opifices aemulatione, quamquam hic salsamentarii filius, ille rex et Augusti fuit amicus et affinis.“ Equidem propter Didymi opus similis argumenti similisque tituli Jubae opus eodem modo inscribi necesse esse negans περὶ φθορᾶς λέξεως retinendum esse arbitror librorum manuscriptorum auctoritate firmatum, quippe quo optime opus indicetur, quo de linguae seu de verborum significationis corruptione agatur. Apparet enim illud opus fructum fuisse observationum ad linguam Graecam maximeque ad certas quasdam voces Graecas pertinentium, quae temporis decursu aliam significationem induerunt, ac prius habuerant et proprie debebant retinere. Neque vero difficile est demonstrare, qua ratione corruptio significationis in verbo σκομβρίσαι facta sit, de quo

Frag. I. Suidas v. σκομβρίσαι.

„σκομβρίσαι· παρὰ Ἰόβᾳ ἐν δευτέρῳ φθορᾶς λέξεως παιδιᾶς ἀσελγοῦς εἶδος ἀποδίδοται καὶ κατὰ τὸ ἧτρον πλατεῖ τῷ ποδὶ πλήσσοντος, ὡς ψόφον ἐργάσασθαι.“

Constat enim verbum σκομβρίζειν ita ut verbum θυννάζειν primum significasse *iaculo pungere scombrum*, et quum in illo ludo obscoeno, quem Juba describit, resonante ventre pede icto idem sonus efficeretur atque in scombris pungendis resonante aqua, ob soni effecti similitudinem verbum σκομβρίζειν etiam illius ludi significationem accepisse verisimile est.

Quod si recte iudicasse videor de ratione huius operis, quae Athenaeus de voce Graeca κέραμος ad Jubam provocans docuit, huc referenda esse arbitror, quum nomine κέραμος, quo *vasa terrena* indicantur, Cleopatrae tempore etiam *argentea et aurea vasa* significari coepta esse tradat; hac enim explicatione mea quidem sententia demonstrat significationis corruptionem, quam vox κέραμος passa est. Ipsius autem Jubae haec sunt verba:

Frag. II. Athenaeus VI, 229. C.

„Μέχρι γὰρ τῶν Μακεδονικῶν χρόνων κεραμέοις σκεύεσιν οἱ δειπνοῦντες διηκονοῦντο, ὥς φησιν ὁ ἐμὸς Ἰόβας. Μεταβαλόντων δ' ἐπὶ τὸ πολυτελέστερον Ῥωμαίων τὴν δίαιταν, κατὰ μίμησιν ἐκδιαιτηθεῖσα Κλεοπάτρα, ἡ τὴν Αἰγύπτου καταλύσασα βασιλείαν, τοὔνομα οὐ δυναμένη ἀλλάξαι, ἀργυροῦν καὶ χρυσοῦν ἀπεκάλει κέραμον αὐτό, κεραμά τ' ἀπεδίδοτο τὰ ἀποφόρητα τοῖς δειπνοῦσι· καὶ τοῦτ' ἦν τὸ πολυτελέστατον· εἴς τε τὸν Ῥωσσικὸν[1]) εὐανθέστατον ὄντα κέραμον πέντε μνᾶς ἡμερησίας ἀνήλισκεν ἡ Κλεοπάτρα.“

Neque autem de significationis solum corruptione Jubam in his libris egisse mihi probatur, verum etiam de formae corruptela; quare huc referendum esse puto de pilae ludo

[1]) Rhossum Syriae oppidum inter Issum et Seleuciam situm vasorum praestantia et pretio inclaruisse hoc solum loco proditum est, nec Strabo lib. XVI. p. 751. nec Plinius nat. hist. V. 22. eius rei mentionem fecerunt.

Frag. III. Athenaeus I. p. 15. A.

„ἐκαλεῖτο δὲ φαινίνδα ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων, ἢ ὅτι εὑρέτης τῆς αὐτῆς, ὥς φησιν Ἰόβας ὁ Μαυρούσιος, Φαινέστιος ὁ παιδοτρίβης."

Nam si revera φαινίνδα a Phaenestio ortum est, profecto vocem valde corruptam aut saltem correptam agnosces. [1])

Sevin l. l. hoc opus alii Jubae grammatico cuidum vindicavit; quod si ita esset, vereor, ne non duos tantum, ut voluerunt, sed tres Jubas fuisse affirmari oporteret, regem ἱστορικώτατον et πολυμαθέστατον, grammaticum Graecum, metricum Latinum.

Caput V.

Ἱστορία θεατρική.

De historia theatrica Jubam opus composuisse testes habemus Athenaeum, qui eius librum quartum bis laudavit IV. 175. D. et E., Hesychium ad eundem librum provocantem, scholiastem Ravennatem ad Aristophanis Thesmophoriazusas v. 1175., qui, quae affert, e Jubae opere περὶ θεατρικῆς ἱστορίας hausisse se dicit, Photium, qui cod. 161. p. 104. 35. ed. J. Bekkeri Sopatrum sophistam praeter alia Jubae historiae theatricae librum septimum decimum excerpsisse commemorat, unde patet non minus septendecim libros illud opus continuisse. Quod si tam copiosum fuit, summum studium in cognoscenda arte dramatica posuisse Jubam credere debemus. Nec solum vero bene cognovisse fabulas Graecorum, ut ubique locos ex iis afferre posset, fragmento ex opere περὶ ὁμοιοτήτων allato iam vidimus, in quo de structore statim in promptu habet exemplum, sed etiam gavisum esse spectaculis et critici partes egisse confirmatur epigrammate, quod in Leonteum histrionem scripsit. Quos autem fructus ex accuratissimo et amplissimo studio artis dramaticae percepisset, cognitionem scilicet perfectam rerum scenicarum, de artis historia, de apparatu scenico, de compositione fabularum, de actoribus observationes diligentissime illo opere videtur collegisse, in scribendo, quem modo indicavi, secutus ordinem. Ac primum quidem in prioribus libris primordia artis dramaticae explicavisse eum arbitror, e qua parte nullum proh dolor restat fragmentum; libro quarto vero partim de instrumentis, quibus ad cantus et saltationes uterentur, partim de saltationibus sermonem fuisse eo probatur, quod Athenaeus, ubi deipnosophistas de instrumentis musicis disputantes inducit, quartum librum theatricae historiae Jubae bis laudavit, et quod Hesychius de saltatione, quae κλωπεία vocabatur, eundum librum commemoravit; neque igitur falli mihi videor, si alia quoque fragmenta, in quibus de instrumentis musicis et de saltationibus agitur, ex hac parte historiae theatricae servata esse dicam, etiamsi ne operis quidem nomen ab iis adscriptum est, quibus ea debemus. Sed iam testimonia ipsa afferre placet.

---

[1]) Plagge in libris περὶ ὁμοιοτήτων, Spiro in historia theatrica huic fragmento locum fuisse coniicit, uterque falso, ut mea fert sententia.

Frag. I. Athenaeus IV. p. 175. D.

„καὶ τὸ τρίγωνον δὲ καλούμενον ὄργανον Ἰόβας ἐν τετάρτῳ θεατρικῆς ἱστορίας Σύρων εὕρημά φησιν εἶναι, ὡς καὶ τὸν καλούμενον λυροφοίνικα σαμβύκην [1]).“

Frag. II. Hesychius v. σαμβύκη.

„σαμβύκη· οὐ μόνον τὸ μουσικὸν ὄργανον, οὗ μέμνηται Ἰόβας, ἀλλὰ καὶ πολιορκητικὸν, οὗ Βίτων.“

Frag. III. Athenaeus IV. p. 175. E.

„Ἰόβας μὲν γὰρ ἐν τῷ προειρημένῳ συγγράμματι Αἰγυπτίους φησὶ λέγειν τὸν μόναυλον Ὀσίριδος εἶναι εὕρημα, καθάπερ καὶ τὸν καλούμενον φώτιγγα πλαγίαυλον.“

Frag. IV. Athenaeus IV. p. 177. A.

„Ἰόβας δὲ τούτους (scil. ἐλύμους αὐλούς) Φρυγῶν εἶναι εὕρημα, ὀνομάζεσθαι δὲ καὶ σκυταλίας κατ' ἐμφέρειαν τοῦ πάχους [2]).“

Frag. V. Athenaeus IV. 182. E.

„Θηβαίων δ' εὕρημά φησιν εἶναι Ἰόβας τὸν ἐκ νεβροῦ κώλων κατασκευαζόμενον αὐλόν [3]).“

Frag. VI. Athenaeus IV. 183. C.

„Τὸ δὲ ψαλτήριον, ὥς φησιν Ἰόβας, Ἀλέξανδρος ὁ Κυθήριος συνεπλήρωσε χορδαῖς, καὶ ἐγγηράσας τῇ Ἐφεσίων πόλει ὡς σοφώτατον τῆς ἑαυτοῦ τέχνης τουτὶ τὸ εὕρημα ἀνέθηκεν ἐν Ἀρτέμιδος· μνημονεύει δ' ὁ Ἰόβας τοῦ λυροφοίνικος καὶ τοῦ ἐπιγονείου. [4])“

Frag. VI. Hesychius v. βλιτύριον.

„Βλιτύριον· Ἰόβας τὸ σκινδαψὸν ὄργανον ὃν μουσικὸν ἀποδίδωσι, τὸ δὲ βλίτυρι χορδῆς μίμημα“,

quae iisdem fere verbis in Suidae lexicon, in Etymologicum magnum, in Proverbia Graeca transierunt:

---

[1]) Collatis aliis locis Athenaei IV. 182. F., XIV. 637. B. et Polybii V. 37. 10., VIII. 6. 2. Schweighäuser recte conclusit nominativum non σαμβύκης generis masculini sed σαμβύκη esse et verba τὸν καλούμενον λυροφοίνικα attributionis loco anteposita intelligenda esse; etenim Jubam quoque σαμβύκη dixisse Hesychius testis est fg. II.

[2]) Voce σκυταλίαι, quae apud Hesychium σκυτάλια legitur, ni fallor, quae nos dicimus Stockflöten significantur, idque indicatur apposito κατ' ἐμφέρειαν τοῦ πάχους.

[3]) De tibiis ex hinnulorum ossibus factis Eustathius ad Iliad. Σ. p. 1214. verba faciens, nescio utrum sua ex coniectura, ut Causaubonus putat, an Jubam secutus, adiecit Θηβαίων τῶν κατ' Αἴγυπτον ἴσως.

[4]) Quod Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, alii inventum Syrorum dicunt inde a tempore Nabuchodonosori regis cognitum, haud dubie idem est, quod ψαλτήριον ὄρθιον dicitur, quodque λυροφοίνιξ vocabatur.

Suidas. v. *βλήτυρι.*	Etym. magn.	Paroem. Graec. Cent. I. p. 387. ed. Leutsch. et Schneid.
Βλήτυρι· οὕτω λέγουσι καὶ σκινδαψὸν· εἰσὶ δὲ παραπλήρωμα λόγων μὴ ἐχόντων λόγον· Ἰόβας δὲ τὸν σκινδαψὸν ὄργανον μουσικὸν ἀποδίδωσι, τὸ δὲ βλήτυρι χορδῆς μίμημα.	*Βλίτυρι καὶ σκινδαψόν· ἄλογον γέγονε δ' ἤδη παροιμιῶδες, ὡς καταριθμεῖσθαι ἐν καταλόγῳ φαρμάκων· Ἰόβας δὲ τὸν σκινδαψὸν ὄργανον μουσικὸν ἀποδίδωσι, τὸ δὲ βλίσυρι χορδῆς μίμημα, οὐκ εὖ.* [1])	*Βλίτυρι καὶ σκινδαψός· ταῦτα πληρώματα λόγων· εἰσὶ δὲ καὶ παροιμιώδη. Ἰόβας δὲ τὸν σκινδαψὸν ὄργανον λέγει μουσικόν, τὸ δὲ βλίτυρι χορδῆς μίμημα.*

De saltationibus, de quibus Juba a scholiasta Ravennati multus fuisse dicitur, haec habemus fragmenta:

Frag. VII. Schol. ad Aristoph. Thesmoph. v. 1175.

„*Βαρβαρικὸν καὶ Περσικὸν ὄρχημα ὄκλασμα καλεῖται, περὶ οὗ Ἰόβας μακρὸν πεποίηται λόγον ἐν τοῖς περὶ τῆς θεατρικῆς ἱστορίας.*"

Frag. VIII. Hesychius v. *κλωπεία.*

„*κλωπεία, ὄρχησίς τις, ὡς Ἰόβας ἐν τετάρτῳ Θεατρικῶν.* [2])"

Jam quae in subsequentibus libris Juba tractaverit, propter testimoniorum penuriam ne divinari quidem potest, nec Photius, quas res Sopater libro undecimo e Juba excerpserit, commemorat, cui, quod septendecim libros fuisse scimus, debere satis est; postquam enim dixit Sopatrum illo libro e vitis Epaminondae, Dionis, Agesilai, Agidis, Cleomenis, Eumenis, aliorum, nec non ex Aristophanis grammatici libris *περὶ ζώων*, permulta excerpsisse, sic pergit:

Frag. IX. Photius cod. 161.

„*καὶ ἐκ τῆς Ἰόβα τοῦ βασιλέως θεατρικῆς ἱστορίας ἑπτακαιδεκάτου λόγου· οὕτω μὲν καὶ ὁ ἑνδέκατος.*"

In uno tamen fortasse pluribus illorum librorum Jubam coniicio de actoribus egisse et ex ea parte servata esse, quae Athenaeus XIV. 660. E. Jubam de coquis in scenam inductis dicentem facit. Fortasse quaesierat, num servos infimi quoque ordinis in scenam liceret produci, quidque eorum esset peculiare negotium, eaque data occasione, aut quum de Athe-

---

[1]) Vocem *βλίτυρον*, quam Lobeck in Aglaoph. p. 1341. secundum Etym. magn. in numero vocum magicarum fuisse dixit, quibus morbi pelli crederentur, dubito an Juba hac significatione noverit, quapropter reprehenditur a scriptore Etym. magni, quum addit *οὐκ εὖ*; alias formulas antipatheticas Lobeck e Clementis Alexandrini Strom. p. 415. affert *βέδυ, ζάμψ, χθών, πλῆκτρον, σφίγξ, κνάξβι, χθύπτης, φλέγμω, δρώψ*, quibuscum comparat *τήνελλα, θρεττάνελο, βλίτυρον*, taratantara et Latinas, nescio quo fonte haustas, Daries Dardaries Huat Hanat Hax Pax Diax Adamax.

[2]) Fortasse eadem est saltatio, quam Xenophon Anab. VI. c. 1. 7. sq. descripsit, et quam *καρπαίαν* nominavit; neque illa saltatio, quam idem paullum infra 9. sq. descripsit, a Myso quodam monstrata, ab illa, quae *ὄκλασμα* dicitur frag. VII., aliena videtur, quamquam non nomine *ὄκλασμα* sed verbo *ὤκλαζε* usus est,

Meineke frag. Comicorum Graecorum vol. I. p. 15. illum quoque Jubam regem fuisse putat, qui schol. ad Demosth. de falsa legatione p. 243. laudatur *ὁ τὰς θεατρικὰς ἱστορίας συγγράφων*, quod Valckenar minus recte de Asclepiade Tragilensi intellexit diatribe p. 182. cf. Plagge p. 68.

nione, qui coquos in scenam produxisset, verba faceret, illud fragmentum ex Athenionis comici Samothracibus adiunxit, in quo quum versus nonnulli, quamquam in omnibus liberiorem agnosces structuram, in editionibus Athenaei ita claudicent, ut ferri vix possint, coniecturis sanare eos conatus sum:

Frag. X. Athenaeus XIV. 660. E.

„Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῆς Ἀτθίδος Κλείδημος φῦλον ἀποφαίνει μαγείρων ἐχόντων δημιουργικὰς τιμάς, οἷς καὶ τὸ πλῆθος ἐνεργεῖν ἔργον ἦν. Οὐκ ἀπεικότως δὲ καὶ Ἀθηνίων ἐν Σαμόθρᾳξιν, ὥς φησιν Ἰόβας, μάγειρον εἰσάγει φυσιολογοῦντα διὰ τούτων·

Οὐκ οἶσθ', ὅτι πάντων ἡ μαγειρικὴ τέχνη
πρὸς εὐσέβειαν πλεῖστα προσενήνεχθ' ὅλως;
Β. τοιοῦτόν ἐστι τοῦτο: Α. πάνυ γε, βάρβαρε,
τοῦ θηριώδους καὶ παρασπόνδου βίου
5 ἡμᾶς γὰρ ἀπολύσασα καὶ τῆς δυσχεροῦς
ἀλληλοφαγίας ἤγαγ' εἰς τάξιν τινὰ,
καὶ τουτονὶ περιῆψεν ὃν νυνὶ βίον
ζῶμεν. Β. τίνα τρόπον; Α. πρόσεχε, κἀγώ σοι φράσω.
ἀλληλοφαγίας καὶ κακῶν ὄντων συχνῶν,
10 γενόμενος ἄνθρωπός τις οὐκ ἀβέλτερος
ἔθυσ' ἱερεῖον πρῶτος, ὤπτησεν κρέας.
ὡς δ' ἦν τὸ κρέας ἥδιον ἀνθρώπου κρεῶν
αὐτοὺς μὲν οὐκ ἐμασῶντο, τὰ δὲ βοσκήματα
θύοντες ὤπτων· ὡς δ' ἅπαξ τῆς ἡδονῆς
15 ἐμπειρίαν τιν' ἔλαβον, ἀρχῆς γενομένης
ἐπὶ πλεῖον ηὔξον τὴν μαγειρικὴν τέχνην.
ὅθεν δὲ νῦν τῶν πρότερον ἔτι μεμνημένοι
τὰ σπλάγχνα τοῖς θεοῖσιν ὀπτῶσιν φλογὶ,
ἅλας οὐ προσάγοντες· οὐ γὰρ ἦσαν οὐδέπω
20 εἰς τὴν τοιαύτην χρῆσιν ἐξευρημένοι.
ὡς δ' ἤρεσ' αὐτοῖς ὕστερον, καὶ τοὺς ἅλας
προσάγουσιν ἤδη, τῶν ἱερῶν γεγραμμένων
τὰ πάτρια διατηροῦντες· ἅπερ ἡμῖν μόνα
ἅπασιν ἀρχὴ γέγονε τῆς σωτηρίας,
25 τὸ προσφιλοτεχνεῖν, διά τε τῶν ἡδυσμάτων
ἐπὶ πλεῖον αὔξειν τὴν μαγειρικὴν τέχνην.
Β. καινὸς γάρ ἐστιν οὗτοσὶ Παλαίφατος.
Α. μετὰ ταῦτα γαστρίον τις ὠνθυλευμένον
προϊόντος εἰσηνέγκατ' ἤδη τοῦ χρόνου·
30 . . . . . ἀκριβῶς ἐρίφιον
. . ἐτακέρωσε, πνικτῷ διέλαβεν
περικόμματι δι' ἐπίγγρας ὑποκρούσας γλυκεῖ,
ἰχθὺν παρεισκύκλησεν οὐδ' ὁρώμενον,
λάχανον, τάριχος πολυτελὲς, χόνδρον, μέλι.
35 ὡς πολύ τι διὰ τὰς ἡδονὰς ἃς νῦν λέγω
ἀπεῖχ' ἕκαστος τοῦ φαγεῖν ἂν ἔτι νεκροῦ·
αὐτοῖς ἅπαντες ἠξίουν συζῆν, ὄχλος
ἠθροίζετ' ἐγένονθ' αἱ πόλεις οἰκούμεναι
διὰ τὴν τέχνην, ὅπερ εἶπα, τὴν μαγειρικήν.
40 Β. ἄνθρωπε, χαῖρε, περὶ πόδ' εἶ τῷ δεσπότῃ.
Α. καταρχόμεσθ' ἡμεῖς μάγειροι, θύομεν
σπονδὰς ποιοῦμεν, τῷ μάλιστα τοὺς θεοὺς
ἡμῖν ὑπακούειν, διὰ τὸ ταῦθ' εὑρηκέναι
τὰ μάλιστα συντείνοντα πρὸς τὸ ζῆν καλῶς.
45 Β. ὑπὲρ εὐσεβείας οὖν ἄφες παῦσαι λέγων.
Α. ἥμαρτον· ἀλλὰ δεῦρό μοι συνέσθιε·
τά τ' ἔνδον εὐτρεπῆ ποίει λαβών."[1])

Restat, ut historiae theatricae quasi πάρεργον epigramma annectamus, quod Athenaeus teste Amaranto in libris de re scenica Jubam contra Leonteum histrionem propter male cantatam Hypsipylam composuisse dicit, quo carmine ut plurimos illius aetatis viros doctos etiam Jubam versibus operam dedisse liquet. Hoc epigramma, de quo quae viri docti protulerunt quum

[1]) Concinnavi fragmentum secundum Meinekium ratione critica adiutus ab illo fragm. comic. Graec. tom. II. p. 116. et editionis prioris tom. V. p. 559. exhibita; coniecturarum autem medelam, quarum supra mentionem feci, versibus 17. 32. 33. 41. adhibui, qui versus ita vulgo leguntur, v. 17. ὅθεν ἔτι καὶ νῦν τῶν πρότερον μεμνημένοι, v. 32. περικομματίῳ δι' ἐπίγγρας ὑποκρούσας γλυκεῖ, v. 33 ἰχθὺν παρεισεκύκλησεν . . ., v. 41 καταρχόμεθ' ἡμεῖς.

inepta tum insulsa, longum est repetere, Plagge l. l. p. 75. Boeckhii, ut ingenue professus est, opera ita restituit, ut statuae a Juba Leonteo histrioni positae, qualem a magistro sapientissimo iussus sibi finxit, aptissimum appareret:

Frag. XI. Athenaeus VIII p. 343. F.

„Ὀψοφάγος δ'ἦν καὶ Λεοντεὺς ὁ Ἀργεῖος τραγῳδὸς, Ἀθηνίωνος μὲν μαθητής, οἰκέτης δὲ γενόμενος Ἰόβα τοῦ Μαυρουσίων βασιλέως, ὥς φησιν Ἀμάραντος ἐν τοῖς περὶ σκηνῆς, γεγραφέναι φάσκων εἰς αὐτὸν τόδε τὸ ἐπίγραμμα τὸν Ἰόβαν, ὅτε κακῶς τὴν Ὑψιπύλην ὑπεκρίνατο.

Μή με Λεοντῆος τραγικοῦ κιναρηφάγου εἰκώ
λεύσσων Ὑψιπύλης ἐς κακὸν ἦτορ ὅρα,
ἤμην γάρ ποτ' ἐγὼ Βάκχῳ φίλος, οὐδέ τιν' ὧδε
γῆρυν χρυσολόβοις οὔασιν ἠγάσατο.
νῦν δέ με χυτρόποδες, κέραμοι καὶ ξηρὰ τάγηνα
χήρωσαν φωνῆς γαστρὶ χαριζόμενον."[1])

Jam quum ex hoc epigrammate aliisque testimoniis et fragmentis allatis sequatur Jubam summopere rebus scenicis studuisse, quid, quaeso, magis dolendum est quam periisse omnes hos libros, quos de historia theatrica scripsit? E quibus permulti scholiastae ea, quae docuerunt ad poetas, haud dubie deprompserunt, et Didymus fortasse contra ea, si fidem habemus Suidae, multa scripsit, quae adversaria nunc, quum Jubae volumina perierunt, e Didymi scholiis et vitis vix possumus colligere; in vitis saltem a Didymo scriptis Thucydidis, Aeschyli, Sophoclis Euripidis a Rittero a. 1845. editis et in scholiis nihil, quod cum aliquo Jubae fragmento controversum esset, inveni, ut commentum esse Suidam statuerem, nisi Didymi quoque plurima scripta periissent, itaque iudicium de hac re omnino denegatum esset[2]).

Caput VI.

Περὶ γραφικῆς vel *περὶ ζωγράφων.*

Operis *de pictura* seu *de pictoribus* inscripti primum testem Harpocrationem offendimus, qui ad vocem *Παῤῥάσιος* octavum librum Jubae *περὶ ζωγράφων* et in commemorando Polygnoto *τὰ περὶ γραφικῆς* laudat, deinde Photium, qui Cod. Bibl. 161. p. 137. Sopatrum librum secundum *περὶ γραφικῆς* excerpsisse refert. E quibus testimoniis primo duo opera videntur fuisse, quod quidem Sevin. l. l. p. 465. sq. revera credidit; quae si accuratius comparaverimus, pellucidum fore arbitror idem tantum et unum fuisse opus duobus nominibus ornatum. Etenim in utroque Harpocrationis loco de pictoribus sermo est, nec propterea, quod illo loco, ubi de Polygnoto agitur, Artemonis opus cum Jubae opere coniunctim laudatum *περὶ ζωγράφων*, Jubae vero *περὶ*

---

[1]) Contra coniecturarum et hallucinationum, ut Plaggii verbis utar, turpissimam farraginem duo tantum e Boeckhii iudicio mutata sunt: v. 1 *εἰκώ* pro *ἦχον*, quod est in libris manuscriptis, et v. 4 pro *χρυσοβόλοις χρυσολόβοις οὔασιν*, quod aures inauribus ornatas significat, quae de capite Dionysii lemniscato intelligendae sunt.

[2]) Conf. diss. p. 15. n. 4.

γραφικῆς nuncupatur, ut statuam adducor hoc loco nomina librorum a librario confusa esse; accedit enim testimonium Photii, qui ut Harpocratio v. *Πολύγνωτος τῶν περὶ γραφικῆς* librum secundum laudavit. Quod si altero Harpocrationis loco *ἐν ᾗ περὶ ζωγράφων* dicitur, nisi forte errore id ortum est, quoniam in antecedentibus *ζωγράφος Παῤῥάσιος* scribitur, Jubae opus *περὶ γραφικῆς ἢ περὶ ζωγράφων* puto inscriptum fuisse, itaque scriptores modo hunc modo illum titulum adoptasse. Sed quum Photius Sopatrum secundum librum Jubae excerpsisse tradat picturas tractantem, Harpocratio in pictorum nomiuibus libri octavi mentionem faciat, colligendum est, et similiter Plaggium iudicare video, priores libros de historia picturae, posteriores de pictoribus scriptos fuisse, quamquam in neutra parte materies plane seiungi potuit, imo ubique de pictoribus dici oportuit.

Frag. I. Photius Cod. 161. p. 337.

„*Ἔτι δὲ καὶ συνείλεκται αὐτῷ* (scil. *Σωπάτρῳ*) *ἡ βίβλος καὶ ἐκ τοῦ δευτέρου λόγου τῶν περὶ γραφικῆς Ἰόβα.*“

Frag. II. Harpocratio v. *Παῤῥάσιος.*

„*Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς ἀντιδόσεως· ὅτι μὲν ζωγράφος Παῤῥάσιος, παντὶ δῆλον. Ἰόβας δὲ ἐν ὀγδόῃ περὶ ζωγράφων διεξέρχεται τὰ περὶ τὸν ἄνδρα, φησὶ δ' αὐτὸν εἶναι υἱὸν καὶ μαθητὴν Εὐήνορος, Ἐφέσιον δὲ τὸ γένος.*“

Frag. III. Harpocratio v. *Πολύγνωτος.*

„*Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας· περὶ Πολυγνώτου τοῦ ζωγράφου, Θασίου μὲν τὸ γένος, υἱοῦ δὲ καὶ μαθητοῦ Ἀγλαοφῶντος, τυχόντος δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ἤτοι ἐπεὶ τὴν Ποικίλην στοὰν ἔγραψε προῖκα, ἢ ὡς ἕτεροι, τὰς ἐν τῷ θησαυρῷ καὶ τῷ ἀνακείῳ γραφάς, ἱστορήκασιν ἄλλοι τε καὶ Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ ζωγράφων καὶ Ἰόβας ἐν τοῖς περὶ γραφικῆς.*“

Haec sola sunt testimonia Jubae operis de pictura seu de pictoribus; sed praeter ceteros scriptores etiam Plinio illud opus ad manum fuisse, quum librum tricesimum quartum scriberet, ex eo admodum fit verisimile, quod ipse libro primo, fontium a se adhibitorum indice, Jubam inter auctores illius partis naturalis historiae commemoravit, in qua historiam picturae et sculpturae perlustravit, atque summopere dolendum est, quod toto libro ne semel quidem ad eum provocavit.

Caput VII.

De re metrica.

Jam aggrediamur quaestionem de Juba grammatico vel metrico vel hibrida voce artigrapho appellato, quae denominatio, etsi scriptorem indicat, qui omnem de octo partibus orationis disciplinam composuit, quam breviter artem dicebant, in Juba ad artem metricam tantum pertinet. G. J. Vossius quidem de historicis Graecis lib. II. c. 4. p. 220, ed. Westermann. Spiro, Sevin p. 460., alii illum Jubam regem *πολυμαθέστατον* esse negaverunt, Ritschl vero in com-

mentatione de stichometria indici lect. univ. Bonnensis annis 1840/41. praemissa p. 8. sq. Marii Victorini testimonio nixus *non posse eum obscurum aliquem magistellum esse, cuius nusquam praeterea ulla mentio fieret,* iudicavit, *imo regem esse eruditionis laude dignissimum;* quocum consentiunt Plagge l. l. p. 82. et ten Brink l. l. p. 3. H. Wentzel autem symbolis criticis ad historiam scriptorum rei metricae Latinorum p. 15. sqq. Ritschelii iudicium refutans cum Vossio consensit, testimonia de Juba artigrapho et fragmenta ex eius libris servata a rege Juba abiudicavit, *grammaticum eum fuisse Latinum sub finem tertii post Christum natum saeculi* contendit. Re iterum atque iterum considerata, quum primo equidem duos esse Jubas putavissem, ad Ritschelii sententiam ut accederem, magis et magis adductus sum. Ac primum quidem nomen Jubae Maurum est, idque minime Romano cuiquam ac ne Mauro quidem privato homini, qui ut alii Mauri Terentianus, Victorinus, Servius artem metricam scripsisset, convenire ten Brink iam demonstravit; sed enim fuit nobilissimum, quod non solum ut Divi Caesaris nomen *regis nominis* instar usurpabatur, ut e Taciti histor. II. c. 58. videri licet, sed etiam Dei indigetis fuisse Lactantius de falsa religione I. c. 15., Minucius Felix c. 23., Isidorus orig. VIII. c. 11. testantur. Maxime igitur probabile est Jubam Mauritaniae regem rerum metricarum fuisse scriptorem, quem Marius Victorinus, qui idem Maurus est, optimo iure *Jubam nostrum* dicit. Regem autem propterea nec M. Victorinus nec alii metrici Latini appellare eum videntur ten Brinkio, quod ipse in libro Latino ad Romanos scripto regem se nominare ineptum esse sensisset. — Sed videamus argumenta a Wentzelio allata, quae adeo non sunt firma et fortia, ut possint facili negotio refelli. Nam quod Jubam *Graecum scriptorem rerum vel ad historiam vel ad geographiam vel ad naturalem historiam pertinentium* scribere potuisse artem metricam negat, miror eum ignorare regem litterarum et studiosissimum et peritissimum etiam de artibus et maxime de rebus scenicis multa scripsisse, quibus ars metrica ita est coniuncta, ut qui accurate illas perquisiturus est, hac supersedere non possit. Neque Jubam et historicum et grammaticum posse eundem esse difficile est probatu, quum multos et claros viros illius aetatis studia grammatica secutos esse constet: „non enim Cicero tantum et Varro, ut ait Boehmer Jubae regis patrocinium contra Wentzelium suscipiens lectionum Servianarum fasc. p. 19., quaestionibus grammaticis enucleandis vacaverunt, sed etiam Caesar in maximis occupationibus duos de analogia libros ad M. T. Ciceronem edidit.“ Quod vero, si Juba rex Heliodori metrici Graeci vestigia premens artem metricam scripturus fuerit, Latine eum scripsisse negat Wentzel, iterum consentientem me non habet. Quid ni Jubam, mi dius fidius, viginti fere annos Romae moratum, etsi *Ἑλλήνων τοῖς πολυμαθεστάτοις ἐνάριθμος γενέσθαι συγγραφεῦσιν* a Plutarcho praedicatur, colligi potest pari modo litteris Latinis atque Graecis operam dedisse nec minus Latinum quam Graecum factum esse? Etenim quemadmodum linguae Latinae et studiosus et amans fuerit, et quantopere gratum erga Romanos animum et memoriam fortunatae suae captivitatis perpetuam praestaturus Romanum se ipse praebuerit et ab aliis haberi voluerit, probat Caesareae urbis regiae nomen, probant nummi, in quibus effigiei regis Graecis quidem insignibus ornatae nomen Jubae Latinum appositum reperitur, probat denique stemma Latinum in tabula marmorea Jubae a colonis dedicata, quod diss. p. 3. delineavimus. Latinam vero linguam Romanasque litteras praeclare calluisse probant, ut ten Brink ait, libri de historia Romana, in quibus vetustis Latinorum libris et auctoribus, in his Sulpicio Galba usus est, probat opus *περὶ ὁμοιοτήτων*, in quibus de Romanorum ritibus deque Latinorum vocabulorum origine disseruit ita, ut Plutarchus, certe non tam bene Latine sciens quam Juba, his in rebus saepissime eum sequeretur. Atque hoc opere et libro *περὶ φθορᾶς λέξεως* nonne grammaticum se

praestitit? Latine autem locutum esse Jubam testatur Quinctilianus, qui lib. VI. c. 3. aliena eum finxisse coarguit, quem locum diss. p. 16. attulimus. Quidni igitur scripsisse quoque Latine eum iudicemus, et quae historiam scenicam Graecorum et Romanorum perscrutans de arte metrica utriusque populi poetarum didicisset et observasset, Latine eum exposuisse? An solus fuit scriptor bilinguis? Constat plures fuisse semigraecos quos vocant; quin etiam Favorinum Arelatensem novimus, ad quem ten Brink provocat, cuius ut Jubae reliqua scripta dicit Graeca esse omnia, unum tantum grammatici argumenti Latine scriptum.

Neque vero omnino ineptam videbor proferre sententiam nec prorsus reprobandam, quod Rischl fieri saltem potuisse contra Vossium contendit, Jubam regem artem metricam Heliodori vestigiis insistentem Graece docuisse coniiciens aut multa saltem ex Heliodoro excerpsisse, et quae Juba scripsisset, a metrico aliquo Latino vernaculo sermone esse conversa, eiusque librum postea alios metricos, quos regis illustrissimi in hoc artium genere fama latuisset, simplici nomine *Jubae metrici* seu *artigraphi* laudare consuevisse, vel ut Marium Victorinum *Jubam nostrum* dixisse. Nihilominus tamen, quod tum a Rufino cum solis Latinis metricis Juba componitur, ut ait Ritschl, tum Heliodoro Graeco a Victorino opponitur, ipsum puto Latino sermone usum esse in arte metrica scribenda. Nec mirum hoc dixerim, quum tunc temporis nec fuerint de hac re scriptores Latini, Sisenna, Varrone exceptis, et Heliodorus inter Graecos primus aut solus fuerit, cuius artem metricam Romanos qui doceret Juba semigraecus haud dubie fuit aptissimus; quo diligentiae specimine novum grati erga Romanos animi documentum oblaturus, ut Graecis etiam hoc in genere nihil cederent — ita ten Brink argumentatur — metrorum rationem voluit exponere Latine. Ecquid facilius ei fuerit quam Heliodorum convertere? Quod quidem plerumque eum fecisse probari potest et Victorini testimonio et ipsius fragmentis comparatis cum Graecorum vel etiam Hephaestionis arte metrica, quamquam Heliodori affinitatem is negat, quae aliquoties ita inter se congruunt, ut Graeca Latinis, Latina Graecis possint explicari et, si opus est, corrigi. Quum autem artem metricam Graecorum et Latinorum considerans discrimina nonnulla offendisset, non mirandum est, quod vir doctissimus et eruditissimus poetarum Latinorum praecipue comicorum rationem addidit atque exempla ex ipsis petita cum Graecis composuit; quocirca poetarum Graecorum usui licentiam Latinorum comicorum opponere eum videmus fragmento in Eichenfeldii et Endlicheri analectis grammaticis p. 521. e codice regio Parisino numero 7530. allato, quo fragmento novo eoque fortissimo uti licet argumento, quo Jubam regem de re metrica scripsisse probetur.

De Jubae aetate disputans si Wentzel disquisitionis suae summam complexus Heliodorum cum Bernhardyo Hadriani tempore, Jubam metricum sub finem tertii post Christum natum saeculi vixisse censuit, iudicium profert certo argumento multo magis egens, quam quo Heliodorum ante Augusti aetatem artem metricam scripsisse eamque Jubam regem secutum esse pro certo diceres. Sed non dubito quin haec opinio magis sit consentanea. Neque enim M. Victorinus, S. Augustini aequalis, *Jubam primae eruditionis* diceret, nisi Caesium Bassum, Atilium Fortunatianum, alios aetate superasset; nec singulare eius meritum agnosceret, si Juba metricus post duo fere saecula Heliodori Hadriani aequalis vestigia secutus esset; et Jubae denique tempore, si quidem tertio saeculo extremo eum vixisse probari posset, *Heliodorum* vix *solum* inter Graecos metricum dicere poterat, quum, ut alios ignoraret, Hephaestionem saltem Veri imperatoris magistrum, clarissimum metricum tanto aetate minorem ipsiusque aetati proximum haud dubie novisset. Optime autem quadrant Victorini verba in Jubam regem, si Heliodorum

cum Ritschelio et Bergkio, cui Heliodorus metricus idem videtur atque rhetor apud Horatium Sat. I, 5. 2., et cum Westphalio de fragmentis et artibus rhythmicorum Graecorum a. 1861. p. 12. facientes ante Dionysium Halicarnasseum maiorem vixisse putamus, quo tempore praeter Philoxenum et Aristoxenum musicos, qui leges metricas obiter tantum tetigerunt, et quibuscum Heliodorus saepissime una nominatur, revera *primus et solus* dici potest; atque in Juba *primae eruditionis* inter Latinos metrico, qui idem rex videtur esse, res versatur, ubi Terentianus, M. Victorinus, alii Latinorum artium scriptores leges metricas produnt, quarum auctores Aristoxenus, Philoxenus, Heliodorus aut ab ipsis dicuntur aut facile agnoscuntur. M. Victorinum saltem quum permulta auctoris nomine non addito e Juba mutuatum esse constat, tum maxime, ubi explicationes Graecas affert vel Graeca et Latina comparat.

Jam vero praeter Wentzelium novissimus exstitit Jubae regis adversarius H. Keil, qui quaestionibus grammaticis Lipsiae a. 1860. editis p. 14. sqq. Heliodorum quidem inter Augusti tempora et alterum post Christum natum saeculum vixisse concessit ab Hephaestione tantum, qui tunc vixisset, propius abfuisse; Jubam vero, cuius libros circa annum trecentesimum quinquagesimum M. Victorinus tractavisset, extremo saeculo tertio vel quarto ineunte vixisse ex eo conclusit, quod Priscianus de metris Terentianis p. 413. scriptor. Latin. rei metricae ed. Gaisford. versus commemoravisset a Juba compositos e versibus Septimii Sereni, quos in metro Falisco primus Terentianus Maurus v. 2001. sqq. citavit. Quum enim Sereni aetatem ad tertium post Christum natum saeculum referendam esse probabile esset, Jubam, qui ex illius versibus suos fecisset, post illum aut eodem fere tempore vixisse persuasum se habere dixit, atque eandem aetatem ceteros versus prodere Latinos, quos Juba in aliis fragmentis Graecis exemplis ab Heliodoro, ut videretur, receptis addidisset, ut pote qui artificia quaedam numerorum et verborum prae se ferrent, qualia Sereno eiusque aequalibus placuissent, ab antiquorum vero poetarum arte prorsus essent aliena. Sed ut recte vir doctissimus iudicaverit de ceterorum versuum ab ipso Juba compositorum artificiis, nec illi versus a Prisciano laudati [1]) necessario Jubae sunt putandi, et similitudo eorum cum Septimii Sereni versibus [2]) paucis tantum verbis constat, quae de re notissima dicta a quovis alio pari vel simili modo usurpari potuerunt. Longe aliter res haberet, si hos versus, quos praeter Terentianum M. Victorinus III. 14. 10. et Anonymus codicis Vindobonensis metri Falisci exempla afferunt, a Juba ipso adhibitos esse manifestum esset. Quocirca etiamnunc in mea equidem persisto opinione Jubam metricum regem Mauritaniae fuisse, quamquam non possum non confiteri dubium id fore, donec testimonium alicubi inventum sit, quo caligo a quaestione adeo intricata divellatur. Quod vero cum Wentzelio Keil in dicendi quoque genere offenditur, quo Juba metricus usus est, verbi causa *coniunctivo praesentis* vel *indicativo futuri* in conditionalibus enuntiatis adhibito et formula *intelligi datur* pro *intelligitur* a Juba dicta, idque alienum a prisca consuetudine, pervulgatum tamen a posterioribus scriptoribus dicit, nimirum magis cum eo consentio quam cum Plaggio et cum ten Brinkio, qui Jubae *latinitatem non vulgarem illam et semibarbaram ceterorum metricorum, sed puram et satis elegantem* declarat *ad Ciceronis ubertatem et numerum nonnihil conformatam*, sorte opportuna gavisus, quod *Latine a*

---

[1]) Si qua flagella iugabis, ante putare decet,
ne resoluta et vidua ulmis et ornis
agri discidium dare Nysia rura queant.

[2]) Quando flagella iugas, ita iuga,
Vitis et ulmus uti simul eant:
Nam nisi sint paribus fruticibus,
Umbra necat teneras Amineas.

Juba scriptorum reliquiae Graecis eius fragmentis partim antecellerent. Utrumque enim is praedicavit immerito; nam et in Graecis fragmentis nonnullis Jubae verba ad nos servata sunt, neque in Latinis virtutes illas agnoveris, quin etiam aliquoties Jubam Maurusium similiter inusitata scribentem reperies, atque Quinctilianus loquentem aliena finxisse accusavit. Attamen propter hanc latinitatem hic illic semigraecum prodentem ad tempora posteriora Jubam transferendum esse negaverim, praesertim quum ea, quae grammatici Latini e Juba sumpsisse se profitentur, non ita inter se congruant, ut ubique genuina eius verba appareant; saepissime enim mutaverunt, omiserunt, de suis addiderunt, uno quasi tenore sua aliena stilo tradiderunt, ut difficile sit ab ipsorum sermone Jubam discernere et dicere, quis maxime illius doctrinam secutus ipsius verba expresserit.

Quod si metricum Jubam eundem esse statuimus atque regem Mauritaniae scriptorem doctissimum, iam videamus fragmenta, quae Wentzel et ten Brink ita distribuenda censuerunt, ut *primum ad caput de litteris, secundum et tertium ad syllabas, quartum ad metrum dactylicum, reliqua ad metrum iambicum, trochaicum, antispasticum, ad metra ionica referenda* essent. Quem ordinem tantum abest ut turbare ausim, ut retineam et conservem, nonnulla tantum immutans vel addens, quum illum ordinem eorum fuisse doceamur, qui inter grammaticos Latinos Heliodori disciplinae addicti sint, et contra e scholiis ad Hephaestionem p. 30. hunc demum constet primum metro dactylico et anapaestico praemisisse metrum iambicum et trochaicum. Restat autem ut antea exponamus, qua ratione materiem tractandam Juba in libros partitus sit; nam in libros divisisse eum materiem confirmatur a Rufino librum quartum et a Prisciano octavum laudante. Quum vero quarto libro metrum iambicum tractavisse eum compertum habeamus, et libro octavo de metris mixtis *κατὰ συμπάθειαν* et *κατ' ἀντιπάθειαν* vel de asynartetis docuisse videatur, prioribus libris de litteris et syllabis, de definitione metri, unde Heliodorum initium cepisse constat, deinde de metro dactylico et de anapaestico eum egisse concludo; et postquam quarto libro metrum iambicum explicavit, libris subsequentibus de reliquis metris trochaico, choriambico, antispastico, ionico a maiore, ionico a minore, paeonico rationes exposuit.

Quod Aristoteles in poetica c. 20. metricis de compositione litterarum praecepit, *περὶ ὧν καθ' ἕκαστον ἐν τοῖς μετρικοῖς προσήκει θεωρεῖν*, id e Graecis Philoxenum fecisse audimus; hunc igitur secutus Juba libro primo de litteris disseruit, e quo

Frag. I. Pompeius comment. artis Donati segm. I. 18. p. 32. ed. Lind.

„Antiqui[1]) per *K* scribebant (scil. C.), quando volebant significare, quod *A* sequebatur Solissimam rem dicit Juba. De hac re mihi videtur, illius rei causa scribi per *K*, ideo sic fuisse compositum, ut, quando sententiam a iudicibus accipiebant, per *K* scriberent *Caput*, quasi con-

---

[1]) Vocabulum *antiqui* pro *veteres* si Jubae proprium esse credimus, M. Victorinum, qui ipse saepissime *veteres* dicit, Jubae verba tacite adhibere coniicere licet, ubi illo vocabulo utitur, ut libro I. c. 4. 16. *Antiqui* pro sed *scribebant* sedum., eod. l. 72. sic enim gylam, myserum, syllabam, proxymum *dicebant antiqui*, et I. c. 16. 2. *Antiqui* deorum laudes carminibus comprehensas circum aras eorum euntes canebant, cuius primum ambitum, quem ingredicbantur a parte dextra, *στροφὴν* vocabant; reversionem autem sinistrorsum factam, completo priore orbe, antistrophon appellabant.

demnatio capitalis, quod hoc ipsum caput per *K* condemnaretur. Hanc dixit ille (scil. Juba rationem[1]). Ergo modo nos per *C* scribimus.„

Frag. II. ibid. segm. II. 3. p. 563. sq. ed. G. et p. 39. ed. Lindem. e capite de syllabis depromptum.

„Deinde illud scire debes, quod unaquaeque, brevis si sit, syllaba unum tempus habet, si longa sit, duo habet tempora. Caetera tempora, quae accedunt, superflua sunt. Ut puta, si dicas *et*, unum semis habet. *E* vocalis est brevis, unum habet tempus. *T* consonans est, et omnis consonans dimedium habet tempus. Adhuc non est nec longa nec brevis. Plus tamen habet a brevi, minus quidem habet a longa. Adde ad *et s*, et iam fit longa. Quare? *E* brevis unum tempus habet, *t* dimedium tempus habet, *s* dimedium tempus habet. Ecce duo tempora sunt, fecerunt duo tempora longam illam. Haec ratio est, ut tantum valeat syllaba naturaliter longa, quantum valet positione longa. Quare? Nam quemadmodum illae vocales naturaliter longae duo habent tempora, (ut

A te ne frigora laedant,

a longa est naturaliter, duo habet tempora) sic etiam syllaba, quae positione fit longa, duo habet tempora. Quomodo? Unum habet a vocali, unum habet a duabus consonantibus. Idcirco fit, ut non quaerantur a positione, nisi duae consonantes, quia duae consonantes dimedium et dimedium habent tempus, et faciunt longam syllabam praecedentem. Ob hanc causam diximus duo esse tempora et naturaliter longae et positione longae. Illud etiam sequitur esse aliquas syllabas plurimas, quae et plura habent tempora, quam oportet. Ut est *lex*. Ecce *e* ipsum naturaliter duo tempora habet, *x*, quae duarum consonantium fungitur loco, unum habet tempus. Quare hoc dixi? Est quidem tractatus, sed etiam utile est, in hoc tractatu poni. Quoniam istae syllabae, quae tribus temporibus fiunt, si habent post se alias[2]) consonantes, asperrimos faciunt versus, non ferendos. Quare? Tempora enim crescentia ultra modum incipiunt gravare nostras aures et obruere. Puta, si qui talem versum faciat

Lex prima est, quodcunque potest,

quattuor sunt tempora. *Lex*, *e* duo habet tempora, naturaliter longa est. Sequitur *x*, unum tempus habet, quia duarum consonantium officio fungitur. Sequitur *p* et *r*, ecce iterum aliud tempus. Ecce quattuor tempora sunt, et nunc asper est. Qua ratione hoc dixi? Quotiescunque inciderit tale aliquid, debemus verba sequentia a vocalibus inchoare, ut depereat aliquid de illa summa. Ut puta, si dicas

---

[1]) De illo usu litterae *k*, cuius et Terentianus Maurus v. 797. et M. Victorinus I. 3. et Marius Plotius Sacerdos mentionem fecerunt, et de ratione hac iudiciaria conferendus est Quinctilianus, qui Instit. orat. I. 7. 10. „Nam *k* quidem, inquit, in nullis verbis utendum puto, nisi quae significant, etiam ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quoties *a* sequatur, necessariam credunt,“ et Cicero pro Roscio Amerino 20. 57., quo loco ten Brink collegit in tabulis suffragiorum iudicum *k* significasse *kaput* et fuisse notam, quae *kalumniatorum capiti inureretur;* quibus testimoniis quum pateat rationem illam pervulgatam fuisse, paullum supra pro superlativo novo atque inaudito *solissimam notissimam* legendum esse contenderim; *solissimam* enim *rem* dici non posse ex eo quoque sequitur, quod eadem ratione scribebatur *KRTAGO* et *KLENDAE*.

[2]) *longas*, quod post *alias* legitur, delendum esse putavi. Quis enim umquam consonantes *breves* aut *longas* esse dixit?

Lex ima est, quodcunque velis,

levius sonat, si dicas *lex ima* est, quam si dicas *lex prima* est. Hoc asperius et gravius sonat. Omnino hoc servare debent, qui volunt lubricos versus et currentes facere. Nam idcirco omnes illi participiis quum coniunguntur, asperrimos versus faciunt. Omne participium longam habet syllabam, *docens, scribens.* Ut puta, si qui talem faciat versum

Scribensque patrique,

verbi causa, asperrimus versus est. Quare? Quia hoc ipsum *e* naturaliter longum est, deinde sequitur *n* et *s*, crescit tempus. Quoniam sequitur illa coniunctio, illud crescit. Quattuor tempora sunt, et asperrimus fit versus *scribensque*; et latet causa asperitatis. Si isti sunt, ratione hoc facit. Habetis hanc rationem in Juba. Ergo omnis syllaba, quae naturaliter brevis est, unum habet tempus; quae longa est, sive natura, sive positione, duo habet tempora. Caetera tempora ex superfluo sunt, nihil praestant" [1]).

Frag. III. Servius in Virgilii Aen. IV. 548.

„*Ob* naturaliter brevis est, sicut et *re* et *ad*, sed plerumque producuntur hac ratione *obiicio, reiicio, adiicio: i* habent vocalem sequentem, quae per declinationem potest in consonantis formam transire, ut *objeci, rejeci;* ergo *i*, etiam antequam transeat, interdum fungitur officio consonantis et praecedentem longam facit".

Jubae autem hanc esse legem sequitur

Frag. IV. Servius in Virg. Aen. V. 522.

„Superius de his particulis secundum Jubam artigraphum tractavimus, sed dicunt alii istas *(ob, re, ad)* monosyllabarum ratione vel produci vel corripi. Sane sciendum est, ut naturaliter brevis sint euphoniae vel Jubae ratione, tamen in compositione producuntur, si *i* sequatur, quae licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonante haberi". [2])

Ad idem caput de syllabis aut ad eam fortasse operis partem, ubi de metro dactylico agitur, referendum est

---

[1]) Fortasse quispiam interrogaverit, sicut Plagge fecit de historia Romana disserens, num Jubam artem metricam composuisse quaestionibus, quales hoc fragmentum exhibet, credi oporteat. At qui Pompeii rationem generatim observatam in commento artis Donati reputaverit, quacum aliud fragmentum Jubae artis nullum reperitur hac in re consentiens, Pompeii solius, non Jubae esse rationem intelliget. Itaque ten Brink remotis quaestionibus molestisque aliis ambagibus et crebris eorundem verborum repetitionibus totum locum ita redegit, ut propius ad ipsa Jubae verba accederet. Eadem fere ratione et quae legentium, quantacunque est, patientiam nimis defatiget, Terentianum Maurum longo tractatu inde a versu 545. usque ad versum 777. syllabarum momenta et maxime consonantium vim et naturam exponere audimus, ut, si utrumque comparaverimus, Terentianum e Juba hausisse colligendum sit. Etenim vel verba in utroque reperimus fere eadem, ut v. 622. Ergo vel *loco duarum consonantum fungitur*, quae similiter apud Jubam leguntur, nec, si v. 563. sqq. vocalium seu consonantium *J* et *U* exempla allaturus voci *Juno* vocem *Juba* apposuit, quin consulto id fecerit, dubitaverim, imo de nomine Jubae videtur cogitandum esse, ad quem Terentianus ut ad auctorem suum alluserit.

[2]) Similiter Servius Honoratus de finalibus ad Aquilinum Anal. grammat. p. 491. docet ad Donati artes provocans et Terentianus Maurus, de quo conferas, quae n. 1 diximus.

Frag. V. Marius Plotius Sacerdos de metris c. XI. p. 300. sq. ed. G.

„Fit asynartetum etiam per antipathiam, id est, per contrarietatem, ac si quis proceleusmaticum pedem, qui anapaestico datus est, metro contrario eius, id est dactylico, praestat, ut Virgilius

Arietat in muros et duros obiice postes.
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Inclusere cava et nigra nemus abiete cingunt.

Quos pedes quidam faciunt dactylicos, primas duas breves ligatas pro longa accipientes, sicut praecepit Juba, sed errans; nam genus est illud asynartetum, quo usa est Sappho per totum librum suum primum."

Versibus illis ex Virgilii Aeneide partim sumptis partim secundum eam compositis — nam XI. 890. *Arietat in portas et duros obiice postes*, V. 432. *Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus*, VIII. 599. *Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt* legitur — Juba non videtur usus esse, ad eum causa ac ratio tantum pertinet, qua proceleusmaticos quidam fecisse dicuntur dactylicos pedes. Quam rationem dubito num recte Plotius sacerdos Jubae vindicaverit, qui Servio teste brevem vocalem produci docuerit, quam exhiberet consonans et vocalis, *quae posset in consonantis formam transire;* et sicut Plotius Sacerdos immerito Jubam reprehendit, quod tales versus asynartetos per antipathiam esse ignoraret, ita ipse, quem metricorum facile imperitissimum scimus, videtur errasse et Jubae rationem ignorasse vel confudisse; etenim Terentianus Maurus, quem multifariam materiem, etsi nusquam auctorem nominatim eum laudavit, ex Jubae arte metrica contulisse arbitror, hanc productionem vocalis brevis demonstravit sequentibus consonanti et vocali *u* vel *i*, quae consonantis fungitur officio, effectam, et is quoque Virgilii versus videtur meminisse V. 432., quum scriberet v. 759. *Genua quum labant Daretis, aeger est anhelitus.*

Fortasse ex Juba Atilius Fortunatianus libro II. c. 8. deprompsit, quae de hexametro dactylico docet: „Idem tamen, qui herous et dactylicus nominatur, quamvis inveniri possit, qui omnes spondeos habeat, recipit, ut dixi, pedes dactylum et spondeum omnibus in locis indifferenter, aliquando in ultimo et trochaeum. Omnis enim ultima syllaba in versu ἀδιάφορος erit."

Atque de metro anapaestico Jubam agnosces in Atilii Fortunatiani verbis c. 9. „Recipit pedes, suum scilicet anapaestum, dactylum et spondeum, raro et proceleusmaticum: hos omnes omnibus in locis." Neque longe aberrare mihi videor a vero, si quum de ceteris metris tum de metro anapaestico multa ex Jubae arte praecepta et exempla incertum illum metricum deprompsisse contenderim, e cuius arte maius fragmentum reperitur in codice olim Bobiensi nunc Vindobonensi No. XVI. in Eichenfeldii et Endlicheri analectis grammaticis p. 516. sqq. expressum; nam iisdem fere vel similibus verbis nonnulla praecepta composuit, atque Jubam uti audimus in aliis fragmentis ipsi vindicatis, et partem exemplorum, quae reperiuntur in illo fragmento, in Jubae arte fuisse ab aliis metricis disertis verbis docemur. Ipsius tamen fragmentum esse credere eo vetamur, quod in metris enumerandis ordinem videmus observatum a metro iambico incipientem, quem primum Hephaestionem scimus esse secutum, minime Heliodorum, cuius vestigia Juba pressisse dicitur.

Jam igitur sequuntur fragmenta libri quarti de metro iambico, quae Rufino et Prisciano debemus, quibus apponere licet fragmentum incerti cod. Par. No. 7530. anal. grammat. p. 521.

et locos nonnullos e Mario Victorino II. 4. et Atilio Fortunatiano II. 10., quorum si rationem et genus dicendi reputaveris, Jubae artem eorum quoque fontem fuisse concedes.

Frag. VI. Rufinus de metris comicis § 25. pag. 385. ed. G.

„Juba in alio loco sic: Jambicum metrum non ex solis iambis conscribitur, sed quinque suscipit pedes, id est iambum, tribrachyn, anapaestum, dactylum et spondeum, hoc est iambum et spondeum et solutiones eorum, scilicet ex iambi solutione tribrachyn (nam si sequentem longam syllabam in duas breves dividas, fiet de iambo tribrachys), spondei autem solutiones duas, dactylum et anapaestum [1]), nam si prior syllaba spondei solvatur in duas breves, fiet anapaestus; si vero secunda, dactylus fiet; unde intelligi datur [2]) iambica metra de iambo et spondeo fieri et de eorum solutionibus."

Frag. VII. idem § 24. p. 385.

„Juba in libro quarto sic dicit: iambicorum itaque exempla, quae maxime frequentata sunt, subdidi:

πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;
Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ,
ξανθῇ παλαιῇ γρηὶ πολλῇσιν φίλῃ,
οἷδ ὑπὸ γὰρ ἡμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους,
ἱμάτιον ἐφόρει μαλακὸν ἐρίων Σικελικῶν,
τὸ δὲ προςκεφάλαιον, φησίν ἅμα σοι βούλομαι,
videre non vult Caelium Panaetius,
misera marino quae timidula in litore,
vallis per imas amne labens caerulo,
armiger in Ida pede vago litora petens,
caerula non aliter superans liquida malaciae,
* * *
παρὰ σοφοῦ μάθε κλύων ὅσα τις ἂν καταμάθοι,
rape faces, cape, puer; sopor abit, cane melos."

---

[1]) Hanc Jubae sententiam de dactylo et anapaesto in universum prolatam falsam esse, quum illi pedes in his quoque locis invenirentur, in quibus Graeci spondeum non admisissent, docuerunt Rossbach et Westphal in libro de re metrica scripto p. 142. Valde congruit cum Rufino Atilius Fortunatianus II. c. 10 „Sed iambus, ut ait Horatius (art. poet. v. 255. sqq.) spondeum in partem recipit, qui pes omnia paene metra ornat et disponit. Item solutio longae in iambo tribrachyn facit, alterutrius longae spondei aut dactylum aut anapaestum. Utraque enim longa spondei in iambico metro potest solvi. Fiunt ergo hi universi pedes quinque (qui, miror qua ratione, sunt omissi). H. Wentzel Atilii Fortunatiani affinitatem cum Heliodoro et Juba agnoscens alterius partis operis nomen eius ferentis auctorem quarto saeculo vixisse statuit.

[2]) Eadem fere leguntur a Juba haud dubie deprompta apud M. Victorinum II. 4. 9: „*Unde intelligi datur iambica metra ex iambo et spondeo et eorum solutione subsistere.*" Enuntiationis vero forma *intelligi datur* Jubae usitata fortasse omnibus locis, ubi apud M. Victorinum comparet, Jubam auctorem prodit, quod quidem argumentis neutiquam refellitur, ut I. 7. 8, ubi de syllabis brevibus et longis invicem adhibitis „id quod in trimetris, inquit, anapaestico, iambo et ceteris huiusmodi versibus *datur cognoscere*;" I. 12 65, „iuxta quae *intelligi datur* varia divisione coniugationum, naturam versuum, vel a trochaico in iambicum, vel ab iambico in trochaicum posse traduci (epiplocae ratione);" II. 3 6. „Nonnulli in ultima huius sede ionicum minorem recipiunt, ea ratione, qua in fine metrum omne varie claudatur; dehinc quod etiam ab auctoribus studio novitatis quaedam

Frag. VIII. Idem § 27. p. 386.

„Quod autem binis pedibus et non singulis scanditur, vetus institutum est; quippe Herodotus, antiquus historiae auctor, quum de heroo diceret versu, quem singulis partiri pedibus, moris est, ita dixit (I. 55. coll. I. 47.) *καί σφιν ἡ Πυθίη ἀφικομένοισι χρῇ ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ τάδε*

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένοιτο
καί ποτε, Λυδὲ ποδαβρέ, πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
φεύγειν μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι,

unde apparet heroum singulis pedibus scandi etiam apud veteres solitum; iambum autem binis, id enim ait, quum de Archilocho Pario referret, qui Gygae fabulam optime complexus est ita l. I. 12. *Γύγης, τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονώς ἐπεμνήσθη ἰάμβῳ τριμέτρῳ·* meminit autem versus eius Herodotus, quem applicui,

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

et hactenus de acatalecto trimetro dictum."

Iterum Jubam Rufinus p. 397. ed. G. inter eos metricos commemorat, quos mensuram esse in fabulis hoc est *μέτρον* Terentii et Plauti ac ceterorum comicorum et tragicorum dixisse refert.

Frag. IX. Incertus cod. Parisin. No. 7530. Eichenfeldii et Endlicheri anal. grammat. p. 521.

„Jambicum metrum a monometro hypercatalecto usque in octametrum acatalectum, Juba teste, procedit. Recipit autem pedes quinque: iambum, tribrachyn, spondeum, dactylum, anapaestum; sed locis imparibus, id est, primo, tertio, quinto et deinceps, omnes quos diximus indifferenter suscipit pedes; locis vero paribus, id est, secundo, quarto, sexto et deinceps, tantum tres: iambum, tribrachyn et anapaestum [1]). Et hoc omnes fere, qui diligenter iambico usi sunt, custodiverunt. Sed Latini comici [2]), dum satis student communibus fabulis et gestiunt comoedias ad sermonem vitae vocare, corruperunt leges iambi. Nam primum secundo et quarto et sexto et paribus locis non illis tribus tantum pedibus utuntur, sed omnibus quinque. Nec illud etiam servant, ut vel quadam varietate in ipsis pedibus utantur, et quum recipit, ut diximus, spondium, plerumque omnes spondeos faciunt; quum anapaestum, plerumque omnes anapaestos, atque eadem de ceteris servant. Quin etiam contenti sunt plerumque unum tantum locum in toto

---

adiiciantur vel detrahantur, contra quam ratio veteris disciplinae permittit. Quod et in ceteris metris *datur cognoscere.*" III. 3. 7. „*Unde intelligi datur* per singula metra, quae octo sunt numero, totidem incrementa differentiarum reperiri."

[1]) Similiter M. Victorinus II. 4. 10. „Recipit itaque iambicus versus in disparibus locis, quas Graeci *περισσὰς χώρας* vocant, id est, primo, tertio et quinto, quum est tragicus, spondeum, dactylum, anapaestum; paribus autem, quas *ἀρτίους χώρας* dicunt, eos, qui brevi syllaba incipiunt, id est, iambum, tribrachum, anapaestum."

[2]) *Latinos comicos* hoc fragmentum solum exhibet, unde conclusi Jubae regi tribuendum esse, ut pote qui semigraecus Graecorum Latinorum usum comparans illorum ratione absoluta Latinorum comicorum licentiam satis praegnanter indicet, qui si scriptor Romanus fuisset, haud dubie non *Latini* sed *nostri* dixisset.

versu pedi legitimo reservare. Nec non solutiones ita crebras ponunt, ut plerumque decem breves et amplius se sequentes deprehendas. Plerumque etiam aut acephalos faciunt eosdem iambos, aut hypercatalectos, quae res metrum hoc, id est, iambicum, in trochaicum convertat necesse est; nam sive unam syllabam demas ab initio, sive unam addas[1]), de iambo trochaicum facis; quae res dedit eis occasionem, ut in iambico metris etiam legibus trochaicorum uterentur. Igitur propter has causas sciendum est in comoediam plerumque incidere et dactylica metra propter dactylum, et anapaestica propter anapaestum, et spondiaca propter spondeum; et quae de tribrachy sunt; nec non, ut diximus, propter acephalos vel hypercatalectos versus, etiam trochaica. Nec illud servant Latini, ut trimetros tantum versus efficiant; nam crescunt a trimetris usque in octametrum, id est, faciunt versus de sedecim pedibus; ultra numquam, nec iterum minorem sex pedibus versum esse permittunt."

Eiusdem fere argumenti et similibus verbis enuntiata sunt ea, quae Priscianus ex Asmonio et ipso Juba de laxiore comicorum ratione affert, postquam Terentiani locum a v. 2228. usque ad v. 2245. de eadem re laudavit, in quo quidem loco ut in Asmonii loco eundem Jubam auctorem cognosces.

Frag. X. Priscianus de metris comicorum § 8. p. 412. ed. G.

„Asmonius etiam idem confirmat his verbis: comici poetae laxius etiamnum versibus suis quam tragici spatium dederunt et illa quoque loca, quae proprie debentur iambo, dactylicis occupant pedibus, dum cotidianum sermonem imitari volunt et a versificationis observatione spectatorem ad actum rei convertere, ut non fictis sed veris affectionibus inesse videatur[2])." Juba „ideo in secundo et quarto et sexto loco iambus non recipit[3]) nisi a brevi incipientes[4]), quia in his locis feriuntur per coniugationem pedes trium[5]) metrorum, et vult extrema pars pedum iambicorum celerior esse, quomodo et ipsi iambi. Accipere autem solet caesuras duas, quas et heroicum, id est semiquinariam et semiseptenariam. Erit autem probabilis iambicus versus et tragoediis aptus, si secundum et quartum pedem non alios feceris quam iambos aut eum, qui appellatur tribrachys aut anapaestus, quoniam sunt pares; κακόμετρος autem, si aliter

---

[1]) In anal. grammat. perperam legitur sive unam *addas de iambo*, trochaicum facis.

[2]) Conferatur cum hoc loco M. Victorinus, qui II. 4. 16. p. 108. G. Jubam secutus „Similiter, inquit, apud comicos laxius spatium versibus datum est; nam et illa loca, quae propria iambo debentur, spondeis occupant, dactyloque et anapaesto locis adaeque disparibus. Ita dum cotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant studio, non imperitia, quod frequentius apud nostros quam Graecos invenies."

[3]) *Juba „ideo in secundo et quarto et sexto loco iambus non recipit* secundum Keilium legendum esse ratus sum, recte dicentem „*Jubam iambos recipere* dici nequire, sed *versum iambicum*, qui saepe *iambus* nuncuparetur.

[4]) Similiter Atilius Fortunatianus II. c. 10. „Inveniuntur semper hi omnes (scil. pedes quinque) incipientibus locis, id est sublationibus, quae loca imparia quidam vocant, in desinentibus vero, id est, in depositionibus, quae loca paria appellant, non nisi qui a brevibus incipiunt.

[5]) *Pedes trium metrorum* veram lectionem esse iudicaverim, quod in antecedentibus loci indicati ad tria metra, quibus trimetri constant, referendi sunt, et in subsequentibus ulterioris pedum, qui singulas coniugationes vel συζυγίας conficiunt, ratio habetur; et sicut paullo post *ter feritur hic versus*, et *feritur in secundo et quarto et sexto* dicitur, ita hoc loco dici posse arbitror *pedes feriuntur trium metrorum*. Quod Keil. quaest. gramm. p. 16. scripsit *per coniugationem pedestrem metrorum*, sane non est praestabilius vulgata lectione per coniugationem *pedestrium* metrorum, quum in versibus nec de metris pedestribus nec de pedestri coniugatione metrorum sermo esse possit, et comicorum tantum versuum, de quibus hoc loco non agitur, licentiam accedere ad pedestrem orationem constet.

nam primus et tertius et quintus admittunt hanc permutationum pedis licentiam[1]). Causa obscura multis est; sed aperiatur a nobis; nam quoniam ter feritur hic versus, necesse est, ubicunque ab ictu percussionis vacat, moram temporis adiecti non reformidet; in primo autem pede et tertio incipit et in quinto, feritur in secundo et quarto et sexto. „Attende Jubam quoque scire inveniri quosdam iambos, in quibus secundus et quartus absque observatione ponitur, quos *κακομέτρους* vocat[2]).“

Frag. XI. Rufinus l. l. § 26. p. 386. ed. G.

„De choliambo sic (Juba): Est autem proceritatis eiusdem versus, qui unius pedis differentia nomen amittit; nam quod sexto loco, qui locus par est, non iambus sed spondeus vel trochaeus accipitur et a longa syllaba incipit, claudum carmen facit et choliambus nominatur, ut est

ὦ Κλαζομένιοι, Βούπαλος κατέκτεινεν,
ἀκούσαθ' Ἱππώνακτος· οὐ γὰρ ἀλλ' ἥκω,
o quae tenerulae comparis tenes crinem,
sudes in ista Veïa latent fossa.“

Frag. XII. Rufinus l. l. § 28. p. 387. ed. G.

„De octametro[3]) Boiscio idem sic dicit: octametrum acatalectum[4]),
Βοῖσκος ὁ ἀπὸ Κυζίκου παντὸς γραφεὺς ποιήματος τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δωρεάν.
Boiscus is de Cyzico novi repertor carminis; nam primus octonum pedum versum deo dicaverat.“
E libro, quo Juba de metro trochaico egit, fortasse quinto, versus saltem exstat:

---

[1]) Licentiam illam M. Victorinus videtur spectare, quum II. 4. 15. „Improbatur autem, inquit, apud tragicos versus ex omnibus iambis compositus: nam quo sit amplior et par tragicae dignitati, interponunt frequentius in locis dumtaxat imparibus pedum dactylicorum moras et spondeum.“ Nec Caesius Bassus eam ignorat, qui teste Rufino p. 379. ed. G. ad Neronem de iambico sic dicit: „Jambicus autem, quum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut quum pedem supplodis, iambicum ferias: ideoque illa loca percussionis non recipiunt alium quam iambum et ei parem tribrachum, aut si alterius exhibuerint metri speciem.“

[2]) Quae hic sequuntur apud Priscianum *idem in octavo*, cum Keilio de libro intelligens paullum infra afferam, ubi de libro octavo sermo erit.

[3]) Plagge nescio qua auctoritate nixus de *cacometro* scripsit, sed eo fortasse probatur, quod huiusmodi versus sane praeter leges metricas sunt compositi, quibus ne ultra duo de viginti moras crescant versus praescribitur, qui pertinent ad *γένος διπλάσιον*.

[4]) M. Victorinus II. 4. 30. p. 111. ed. G. rursus tacens de Juba auctore: „Admonemur hic, inquit, quod apud Graecos celebratur, non praetermittere, Boiscum Cyzicenum supergressum hexametri legem iambicum metrum in octametrum versum extendisse sub huius modi epigrammate:

Βόϊσκος, ἀπὸ Κυζίκου παντὸς γραφεὺς ποιήματος,
τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον, Φοίβῳ τίθησι δῶρον.“

De quo loco ten Brink „Juba, inquit, ut Graeci metrici et *versum* dicit *metrum* et ut Graeci *pedes metra* nominat (M. Victorinus I. 12. p. 68.) Itaque octametrum est *versus octonum pedum ὀκτάπους στίχος non duo tetrametri*, quales falso accepit Victorinus, damnans, quae non intelligeret,“ et ipse octametrum acatelectum, quod appellatur Boiscium, Jubae supposuit, non male pauca immutans contra librorum manuscriptorum auctoritatem:

Frag. XIII. Mallius Theodorus de metris c. 6. § 5 p. 548. ed. G.

„Fieri etiam trochaicum metrum ita, ut in eo adsiduum tribrachys obtineat locum, ut est illud apud Jubam

Qualis aquila cita celeribus avida pinnis advolat."

Quo versu M. Victorinus II. 6. 11. p. 115. tacite usus est, praeterquam quod pro *avida* perperam *rapida* scripsit, et tetrametrum trochaicum satyricum eum dici tradidit; neque deest versus eodem nomine instructus fragmento illi maiori codicis Vindobonensis in analectis grammat. p. 518., quo satis accurate metra trochaica composita fortasse e Juba hausta reperimus. [1])

De metro antispastico tandem aliquando M. Victorinus Jubam auctorem declarat:

Frag. XIV. C. Marius Victorinus II. 7. 3. p. 118. ed. G.

„Conjugatio antispasti, ut Juba noster atque alii Graecorum opinionem secuti referunt, non semper ita perseverat, ut in principio pedis iambus collocetur. Indifferentur enim auctores lyrici metro antispastico initia praestiterunt; saepe enim pro iambo primo aut spondeus aut trochaeus aut pyrrhichius ponitur, quarum differentiarum exempla promemus. Nam si sit iuxta legem pedis ex iambo et trochaeo initium metri, fit purum antispasticum metrum acatalectum, quod tamen iambica depositione concluditur, ut

Erat sus Calydonius edax et fera belua.

Si autem spondeus pro iambo ponatur, fit coniugatio pro antispasto epitriti quarti, ut

O qui praeter agis caeruleo flumine limites.

Si vero a trochaeo fiat initium, erit ex ditrochaeo coniugatio, ut

Aura purpureum per pelagus segniter ad petras

Si autem a pyrrhichio, fit coniugatio paeonis tertii, ut

Domus alta fuit, quae Danaen Acrisii tegens.

Quae commutatio plerumque inter initia versuum fit, nec facile in medietate, nisi in eo genere versuum, quae *ἀσυνάρτητα*, id est inconnexa, sunt, repperitur [2])."

De metro choriambico non exstant fragmenta.

De metro ionico a maiore:

Βοῖσκος ἀπὸ Κυζικοῦ, καινοῦ γραφεὺς ποιήματος,
τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον, Φοίβῳ τίθησι δωρεάν
Boiscus iste Cyzico, novi repertor carminis.
nam primus octonum pedum versum Deo dicaverat.

Sed fragmento incerti codicis Paris. si fidem habere licet, Juba octametrum Boiscion revera ***sedecim pedum*** esse iudicavit, et propter id ipsum et quod eodem fragmento e Jubae auctoritate ***octametrum acatalectum*** dicitur, ita mihi videtur legendum, ut a Keilio scriptum est, nisi quod, quum catalecticum versum statuisset, in fine *δῶρον* retinuit. Neque igitur Luciano Muellero assentior, qui de re metrica poetarum Latinorum praeter Plautum a. 1862. p. 108. Boisci metrum octonariis iambicis pleno pariter ac minuto constans fingit, quale apud M. Victorinum legitur, idque Jubam dicit paribus expressisse numeris:

Boiscus iste Cyzico novi repertor carminis
nam primus octonum pedum versum deo dicavit."

[1]) Praeterea haud aliena videntur a Juba, quae apud Atilium Fortunatianum II. c. 11. de metro trochaico leguntur: „Contrarium iambico trochaicum metrum, quod aeque quinque pedibus constat, trochaeo et ceteris quibus supra; nam trochaei longa soluta tribrachyn, alterutra spondei aut anapaestum aut dactylum faciunt. Hi pedes omnes ponuntur paribus in locis, imparibus non nisi hi, qui brevibus finiuntur."

[2]) Quae M. Victorinus hoc loco Juba auctore de metro antispastico tradit, H. Keil ita consentire dicit cum iis, quae Hephaestio de eodem metro scribit, ut Graecum et Latinum scriptorem ex eodem fonte hausisse appareat.

Frag. XV. Mallius Theodorus c. 10. 1. p. 554. ed. G.

„Metrum ionicum a maiore constat ex ionicis maioribus duobus et spondio vel trochaeo, ut est illud apud Jubam:

Ipsa est Chios, ipsa est Samothrace.“

De metro ionico a minore:

Marius Victorinus ἐπιπλοκὴν vel ἀνάκλασιν a musicis dictam demonstraturus libro II. 9. 6: „Igitur secundae, inquit, coniugationis prima syllaba, quae debet esse brevis, mutatur, ea conditione, ut vim suae proceritatis quartae syllabae longae, quae est ultima primae conjugationis, impertiat; et ipsa quidem brevis remanet facta unius temporis, superiorem autem a se syllabam, quae fuerit brevis, commercio suae proceritatis extendit.“ Paullo post ad Jubae auctoritatem provocans sic pergit:

Frag. XVI. M. Victorinus II. 9. 8. p. 127. ed. G.

„At Juba noster, — qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, — negat hoc vitium, ut quidam asserunt, rhythmicum fore, sed mage metrica ratione contingere, quod per ἐπιπλοκὰς id est metrorum inter se amplexiones plerumque evenit[1]).“

E libro de metris mixtis κατὰ συμπάθειαν et κατ' ἀντιπάθειαν, qui videtur octavus fuisse, depromptum esse puto, quod Priscianus loco supra laudato de metro iambico addit:

Frag. XVII. Priscianus de metris comicorum § 9. p. 413.

„Idem in octavo: qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt hoc genus versuum, omnibus in locis indifferenter trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylis posuerunt, et est haec quoque vitiosa confusio, ut

Si qua flagella iugabis, ante putare decet,
ne resoluta et vidua ulmis et ornis
agri discidium dare Nysia rura queant.“

Quos versus, quum valde corrupti viderentur, Keil p. 19. ita correxit:

Si qua flagella iugabis, ante putare decet, ne
Ire soluta velint viduis ulmis et ornis,
Et grave discidium queant dare Nysia rura.

quod quidem an iure fecerit, vehementer dubito. Initio autem cum eo consentiens, ut supra iam dixi, idem in octavo retinendum et libro supplendum esse puto. Neutiquam enim Wentzelii mihi probatur sententia, qui subsequentia ad metra iambica idque ad cacometros pertinere arbitratus in libro IV. legendum esse coniecit; constat enim trochaeos ne in cacometris quidem in-

---

[1]) De epiplocarum illa ratione, quam Victorinus iam libro I. c. 18. descripsit, qua vel adiiciendo vel detrahendo vel transmutando vel concinnando metrum quodvis ex quovis proferre liceret, inter Romanos primus Varro videtur docuisse, M. Victorinus secundum Heliodorum et Jubam eam explicavit, quos praeter illum Atilius Fortunatianus, Diomedes, Anonymus cod. Parisiensis secuti sunt. Cf. Rossbach et Westphal p. 296. libri de re metrica scripti.

veniri, quorum rationem, quod ceteris fragmentis docemur, Juba quoque ita definivit, ut in secundo et quarto pede dactylum quidem poni liceret, unus tamen locorum eiusmodi versuum isque sextus pedi legitimo reservaretur, itaque illo loco, ubi rationis strictae et laxioris usus in versibus iambicis a Graecis et Latinis observati exempla numero tredecim Rufino teste adiunxit, duos exhibet trimetros dactylis mixtos, ita tamen compositos, ut secundum legem, qua unus retineatur iambus praescribitur, sexto loco iambus reperiatur. Quocirca et ten Brink cum docto illo viro apud Gaisfordium p. 601. mihi videtur errare, qui in sexto loco coniecit, et Plagge, qui de octametro cogitans in octavo loco probat. Apertum autem fit verbis subsequentibus Priscianum cacometrorum iambicorum ratione habita de vitiosa quam dicit coniugatione aliorum metrorum inprimis de confusione trochaicorum et dactylicorum Jubae verba afferre. Neque igitur falli mihi videor, si hoc fragmentum e libro de metris mixtis, qui octavus videtur fuisse, depromptum et de versibus dactylicis logaoedicis intelligendum esse iudicaverim, et errare Priscianum coarguerim vitiosam hanc confusionem dicentem; nam verba „et est haec quoque vitiosa confusio“ Prisciani videntur esse, qui idem fortasse illorum versuum est auctor, quos attulit, quos si revera Jubae vindicaverit, simili ratione contra eum peccare dixerim Priscianum, atque in Heliodorum peccare eum contendit Justus Lipsius in recensione Keilii quaestionum novis annalibus philol. et paedagog. a. 1860. vol. LXXXI. p. 611. gravissima vitia summo artigrapho inculcantem.

Recensitis his fragmentis etsi fortasse quispiam cum Rossbachio fecerit, qui in libello de Hephaestionis Alexandrini libris scripto a. 1857. p. 4. praeter ceteros metricos Latinos Jubam quoque contendit externas tantum leges a poetis observatas composuisse prorsus neglecta rhythmicae doctrinae ratione, ut tironum magis institutionii donea quam cognitione virorum digna videantur, tamen collegisse ea non pigebit, praesertim quum a fine commentationum scholarum annalibus praepositarum imprimis discipulos iis addictos, qui quidem sunt rei metricae tirones, aliqua ex parte doceri eam non modo non alienum sed maxime sit consentaneum.